



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita S. Patricii, Hiberniæ Apostoli, Libri II.

Stanyhurst, Richard

Antverpiæ, 1587


urn:nbn:de:hbz:466:1-42741



2
39

Th. 2439.

KIII
19



DE VITA
S. PATRICII,
HIBERNIÆ

APOSTOLI,
LIBRI II.

Nunc primùm in lucem editi,

Auctore

RICHARDO STANIHVRSTO
DVBLINIENSI.



*Valde
rarus.
Ms.*

ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXXVII.

Socis Jesu Paderb

DE VITA
S. T. RICHARDI
HIERONIMI

A. P. O. S. T. O. L. I.
LIBER III.

Transcription in Latin

Auctore

RICHARDO STANIBURGH

D. V. B. I. N. I. S.



ANTWERP

Ex officina Christophori Plantin

Architvopographi Regii

M. D. LXXXVII

AD ALEXANDRUM³

FARNESIUM, PARMÆ ET
PLACENTIÆ SERENISSIMUM
DVCEM, PHILIPPI, REGIS CA-
THOLICI, IN BELGIA PRO-
REGEM.



NIHIL necesse habui
(serenissime Dux) ea-
rum rationũ momen-
ta, ambitiosâ curio-
sitate conquirere, quibus indu-
ctus, hos meos de vitâ S. Patricij
libros C. T^æ statuerim consecra-
re. Nam si publica tua in rem-
pub. Christianam merita animo
complectar, cogitãti mihi quam-
maxima obuersantur: sin priua-
ta tua in me ac meos collata be-
neficia memoriã, vt par est, re-

A 2 plicare

4
plicare velim, sanè ista eadem
haud minima inuenio. Cùm igitur
Apostolici viri vitam, obscu-
ritatis inuolucris antehac inuo-
lutam, iam tandem in lucẽ pro-
ferri curauerim; cui aptius Pa-
trono hunc meum laborem dica-
re potui, dicare debui, quàm
valentissimo Apostolicæ Eccle-
siæ Machabæo, Alexandro, in-
quam, Farnesio; Alexandro ma-
gno in re militari maiori, atque
multis bonis Alexãdris in Chri-
stianâ disciplinâ meliori. At
D. Patricius, dixerit quispiam,
togatus prodit, Alexander no-
ster armatus incedit. Quid tum
inde? Quandoquidem par prin-
cipum

cipum spectatiffimum in dissi-
mili vitæ instituto perfimili vir-
tutis laude efflorescit. Alter Ca-
tholicam fidem, à sanctâ Roma-
nâ Sede haustam, in animis in-
fidelium prædicando inseuit: al-
ter eandem ipsam Fidem, ab
eadē sacrosanctâ Sede acceptam,
hæreticorum perfidiâ tumultuo-
sissimè exagitatam, præliando
bella Domini, orthodoxæ Ec-
clesiæ filiis tranquillatam red-
dit. *1. Reg. 18,*
17. Multa in hanc sententiam
& verè dici, & aptè adduci pos-
sunt; verùm ego è multis pau-
ca delibo, ne Librum in Episto-
lam coniiicere videar. Addo etiam
permultos futuræ lucis hæredes

A 3 viue-

viuere in Britannia, quam or-
tu suo Patricius nobilitauit, at-
que etiam in Hibernia, quam
ad omne officij munus instru-
xit, qui te, Alexandrum Far-
nesium, potentissimi Regis bel-
licosissimum Proregem, pruden-
tissimi Auunculi lectissimū Ne-
potem in oculis ferunt, in ho-
nore, in amore habent: quod
ad hoc vnum omnes cogitatio-
nes ac labores conferas, vt per-
ditorum ferocitatem coarceas;
prædonum audaciam frangas;
hæreticorū ferocitatem compri-
mas, Catholicam religionem
propugnes. Qui igitur heroi-
ca D. Patricij gesta imitaris, bea-
ta qui-

ta quibus muneratur præmia,
 adprobante CHRISTO con-
 sequeris. Verùm de his, pro
 concisâ, quam in præsenticon-
 fector, breuitate nimium, pro
 tua, serenissime Dux, illustris-
 sima Dignitate profectò parum:
 quæ tamen per se satis, remoto
 orationis penicillo, splendescit,
 atque urbem & orbem famæ ce-
 lebritate in singulos dies perua-
 gatur. Publica itaque tua in Ca-
 tholicam Ecclesiam merita stri-
 ctim adtingo; priuata tua bene-
 ficia, quibus me ac meos cu-
 mulatissimè ornas, longum ef-
 fet in contractiore Epistolâ re-
 censere; de quibus etiam satius

A 4 esse

8

esse duxi tacere, quàm pauca
scribere: pro quibus tantas C. T^a
gratias ago, quantas me, cum
magnitudine obseruantia, ha-
bere, infinite concupisco. Ant-
uerpia, Non. Octobr. 1587.

C. T^a obseruantif^{imus}

Richardus Staniburstus.

9
PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QUAM densis & ingloriis (beneuole Lector) Hiberniæ fama tenebris sit oppleta, vel hinc per facile intelligitur, quòd cū Laurentius Surius, spectatissimi ordinis spectatissimus monachus, Christianaq; vetustatis inuestigator acerrimus, omnes fere omnium gentiū illustriores Diuos, eorumq; anteactas vitas, diligentissimā peruestigatione conquisitas, diuersis voluminibus sit complexus: vnus tamen S. Patricius, cuius opera Deus opt. max. salutare Euangelij lumen Hibernis iam olim porrexit, in coaceruato hoc Sanctorum cœtu, si non prorsus silentio preteritur, saltem ad tactus deseritur. Quod si huius prætermissionis rationem subiici uolueris, quis aliud esse causæ reperiet, quàm inueteratam illam ignobilitatis fuliginem, quæ nimis diu Hibernicam nationem infuscavit. Nec enim Laurentius Surius, scriptor sanè quàm maximè industrius, ullius indiligentiæ cul-

A S pã te-

*pā tenetur, in cuius manus si nostrarū rerū ad-
uersaria peruenissent, non minore industriā,
D. Patricij vitā literis celebrasset, quā Fur-
sei, Caidoci, Kiliani, Malachie, Galli, Laurētij,
Columbani, Brigide, Dimpnæq; memoriā mo-
numentis suis, cura & vigiliis elaboratis, con-
secrarat. Nec veri quidē simile mihi videtur,
Suriū, præsertim tam insaturabilē librorū
belluonē, non lectitauisse studiosè opusculū, de
vita S. Patricij inscriptum, quod vulgò nomine
venerabilis Bedæ circūfertur. Atq; istud tamen
ipsum libris suis, in cōmune collatis, Surius cō-
prehendi non sine causā minimè voluit. Per-
multa enim cum anili futilitate coniuncta, &
nonnulla à veritate Euangelicā omnino alie-
na hoc subditio opere continentur. Cūm igitur
neminē, inter coæuos nostros scriptores, ha-
ctenus viderim, suā curam atq; operā in huius
rei pertractationē conferentem, par esse existi-
maui, non nihil huic negotio tēporis impertire,
& cōmemorabilem sanctissimi atq; integerri-
mi Pontificis memoriā (quæ iam nunc etiā do-
mi, ob reticentiā posterorum, canescere incipit)
posteritati, quibus rebus possum, quamprimum
relinquere. Verū enim uerò aliqua hīc proponū-
tur dumeta, quæ me à suscepto itinere retarda-
re videantur. Viuunt enim nonnulli in hac cō-
muniū*

munium temporū caligine, qui omnia humani ingenij tarditate, non diuinitatis potestate mentientes, maiorē rebus fidē non adiungunt, quā quas mundanis viribus confici posse credunt: apud quos in more positum est, cachinnos commouere, si qua de re fortē audiant, quae in eorum sensus, perfidia aggeribus obrutos oppletosq̄, velocius nō intret: ob eamq̄ causam omnia miracula, à religiosissimis historicis memoria posteritatiq̄ prodita, tanquam fictas fabulas, ex triuio, nullo certo auctore, abreptas, & superstitionis cæno perlitas, despiciatui ducūt. Alij rursus, mirabiliter morosi, statuunt, Diuorum famam celebrare nihil aliud esse, quā Numinis laudes verbis extenuare: & ideo idcirco celestium ciuium praeconia vel fastidiosè agnoscūt, vel insolenter adspernantur. Sed vt quendam interiectum inter hos medium teneremus cursum, mihi commodum visum esset, in huius libelli quasi propileo, satis facere posteriorum austeritati, & stupiditatem refellere superiorum, nisi me non fugisset, à multis doctissimis multa doctissima de his controuersis fuisse iam dudum disputata. Quoties Sanctorum laudibus studium nostrū dedicamus, toties Christi beneficia, in Calites collata, grato animo prosequimur. Nū igitur aliquid de Numinis maiestate est

te est

te est ademtum, si quidquam ad beatorum memoriam sit additum? An vitem laedis, dum palmitem laudas? Nihil quidem certè minus: cōtraq; diuinam gloriam magis efferimus, cum Dei amicos exquisitissimis verbis extollimus.

Ioan. 15, 1. *Act. 20, 35.* Nam cum ipse seruator dixerit, beatius esse magis dare, quàm accipere, ex eo planè perspicitur, quanta in donatâ gratiâ sit maiestas, cum in acceptâ tanta consistat dignitas? Quando rex Assuerus Mardocheum Iudæum eximius honoribus decorari imperabat, quæ eum tanta teneret amentia, ut crederet, nouo hoc beneficentia genere suam vel maiestatem lædi, vel auctoritatem adfligi, vel laudem minui, vel estimationem oppugnari, vel dignitatem violari: quinetiam gloriam suâ ex hac regali ac munifica liberalitate magis efflorescere rectissimè putauit: ideoq; ipse Amon, quem vnum ex intimis consiliariis rex habuit, seuerum ab Assuero mandatum accepit, Mardocheum torquatum, in equum sublatum, glorioseq; triumphantem antecedere, atque hoc eclogium magnâ & canorâ voce vicitim promulgare: Sic honorabitur, quemcunq. voluerit rex honorare. Ad eundem modum (ut cum minimis maxima cōferam) nihil de Numinis amplitudine Christiani detrahunt, qui Diuos, in calis perenniter

Apocalyp.
22, 5.

ter

ter regnantes, debitis laudibus in calū efferunt: cōtraq; hoc præconio orationem terminare merito atq; optimo iure possunt: Hoc honore dignus est, quē rex voluerit honorare. In re tam clarā & illustri nemo hæsitat, qui aliquem celestis dignitatus gustatum habet. Sed qui in humiles & contemptas terrenarum rerum sordes omnes suas cogitationes seruiliter abiicit, haud quaquam sanè mirandum est, si interna illa mentis acies, graui mole obtusa, hebescat, vsque eò, ut altiùs euolare, ac aliquam celestis claritatis speciem ante oculos, mundana lippitudine cæcatus, proponere prorsus nullo modo valeat: imò verò ex sua indignitate Dei filios terræ filius fingit. Quid enim? Tūne (cūm sis misellus homunculus, plumbeo quodam peccatorum pressu humili stratus) eorum laudes omnium gentium linguis atq; literis celebrari indignaberis, qui in angelorum cætu ac numero repositi cum angelis exæquantur? Qui ad cænam nuptiarum agni vocati^b sunt? Qui^c Christi claritatem vident? Qui^d cum eo in throno suo sedent? Qui^e eius adfessores in extremo iudicio erunt? Quos^f celestis pater honore cōplectitur? Quorum^g benefacta celebrari ad memoriã posteritatis sempiternam Sanctorum Dominus conceptis verbis præcepit? Quid arrogantius?

Ester 6,
10, 11.

^a Luc. 20,
36.

^b Apocal.

19, 11.

^c Ioan. 17,

24.

^d Apoc. 3, 2

^e Matth. 19

28.

1. Cor. 6, 8

Iudic. 14.

^f Ioan. 12,

26.

1. Reg. 2,

30.

^g Matth.

26, 13.

tius? Discussâ igitur hac caligine, obtutum no-
 strum, pro mortali conditione vite, in illo im-
 mortali splendore figamus, laudemusq; viros glo-
 riosos, & parentes nostros in generatione sua.
 Non enim timemus in hac re ne offendamus
 Dei iustitiam, cum patronam teneamus eius
 sententiam: qui etiam domesticos suos premio
 inexplicabili remunerat, atq; Maiestate suâ,
 humanum captum longissimis interuallis trās-
 grediente, per omnem aternitatem beat. Siqui-
 dem oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in-
 cor hominis adscēdit, quæ preparauit Deus iis,
 qui diligunt illum. Iam verò Diuorum miracu-
 la ad imperitæ plebeculæ ludibrium ponere, non
 dubito, quin ipsis pueris videatur esse puerile.
 Quid enim^a Sancti, sine Christo, possunt face-
 re? Dæmonia^b eiiciant; linguis loquatur nouis,
 serpentes tollant; pallio^c aquarum diuortia fa-
 ciant; oleum^d noua accretione coagmentent &
 amplificent; claudis^e gradiendi vim impertiāt;
 morbos per^f sudaria depellant; Etiam^g umbrā
 egritudines abstergant; eos^h qui è vitā excessere-
 runt; ad vitam reuocent; calumⁱ ne pluat, clau-
 dant; clausum^k vt pluat, aperiant; Solis umbrā
 in horologio retrorsum decem gradibus redu-
 cant; Solem^m precipitantē sistant; Lunæ acces-
 sum retardent, ad extremumⁿ opera quæ Chri-
 stus

Eccles. 44, 1
 Ita August.
 alia tractās
 loquitur
 Serm. 27.
 de verbis
 Domini.

1. Cor. 2, 9.

^a Ioā. 15, 5.

^b Marc. 6,

13. & 16, 17

Luc. 10, 17.

Act. 2, 6,

7, 8.

^c 4. Reg. 2,

8, 14.

^d 4. Reg. 4. 2

^e Act. 3, 6.

& 14, 9.

^f Act. 19, 12

^g Act. 5, 15.

^h 4. Reg. 4,

35. & 13, 2.

Act. 9, 41,

& 10, 10.

ⁱ 3. Reg. 17, 1

Iaco. 5, 17,

18.

^k 3. Reg.

18, 41.

^l 4. Reg.

20, 11.

^m Ios. 10, 12

ⁿ Ioan. 14,

12.

stus facit, & ipsi faciant, & maiora horum fa-
 ciant. Quid tum inde? Num propriâ virtute?
 Nihil tam vanum. An in Christi nomine?
 apprimè verû. Nec enim solius Petri, sed San-
 ctorum omnium hæc oratio est: Viri Israëlita, Act. 3, 12.
 quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini,
 quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc
 ambulare? Quibus testimoniis perspicuum ef-
 ficitur, Diuos esse riuulos, ab ipso capite Chri-
 sto arcessitos & ductos, eorumq; miracula ad ip-
 sum auctorem Deum referenda esse, qui est ^a mi-
 rabilis in sanctis suis. Si quis ^b autem videtur
 contentiosus esse, nos talem consuetudinem non
 habemus, neq. Ecclesia Dei, quæ Sponsi sui do-
 cumentis instituta, illius ^d gloriam alteri
 non dat, sed Dominum ^e in Sanctis eius lau-
 dat. Verum de hiis in presenti satis. Quare
 me ad meum munus, pensumq; reuocabo. Stul-
 tum etenim est ante historiam effluere, in ipsâ
 autem historiâ succingi.

^a P sal. 67,

16.

^b 1. Cor. 11,

16.

^c P sal. 44,

11.

^d 2. Cor. 11, 2^d Isa. 42, 8.^e P sal. 150,

1.

2. Machab.

2, 33.

APPROBATIO.

In hac doctissima in Diui Patricij vi-
tā Præfatione, & duobus libris de eius-
dem Sancti vita & gestis conscriptis,
quod sanctam Catholicam sanctę Ro-
manæ Ecclesiæ religionē offendat, vel
bonos mores, aut Maiestatem Regiam,
continetur nihil, imò propter egregia
exempla, & memorabilem antiquita-
tem, mihi digni & vtilis videntur, qui
imprimantur & legantur: quod hac mea
subscriptione attestor. Datum Ant-
uerpiæ, anno 1587. IIII. Id. Septembr.

*Henricus Zibertus à Dunghen, S. Theo-
logiæ Doctör, librorum Censor, Canonicus
Cathedralis Ecclesiæ B. Mariæ Virginis
Antuerpiæ.*

17

DE VITA SANCTI
PATRICII, HIBERNIÆ
APOSTOLI,
LIBER PRIMVS.



NNO, ex quo humani generis liberator in lucem est editus, trecētesimo sexagesimo primo, Calphurnius, vel Calphurinus, vir cū primis honestus & honoratus,

Nascitur Patricius anno Salutis 361.

ex Conchessâ, foeminâ probatissimâ, suscepit filium, qui cū salutarī aquâ tingeretur, Suchar, vel Socher, post à S. Germano, Magonius, postremò à Celestino primo, summo Pontifice, Patricius erat nominatus. Est autem natus Patricius in maritimo Britanniae territorio, quod antiquitas Taburniam, vel Eiburniam appellauit. Nonnulli verò adfirmant eius natale municipium Emptor dictum. Hic, qui ambitione aliqua de Patricij laudibus laboraret, multa ad generis splendore in mediū posset producere. Eius siquidem mater soror erat Martini Turonensis Episcopi, cuius admirabilis sanctitas, quasi lux quæ-

Patricij nonde D. Martini soror.

B dam,

dam, extinctis reliquis, totam iam olim Galliam illustravit. Dignus auunculus nepote, dignus nepos auunculo. Patricius adhuc puer literarum magistro operam dedit, in his studiis quibus puerilis ætatula informari solet. Per id temporis cum Britannia tum Hibernia variis ariolis referta erat: qui natalitiis stellis, pecudum extis, & fortuito sortitu edocti, oracula fundere, futura prædicere. Atque hac inueteratâ insulsitate ita utranque gentem infatuarunt, ut nescio quâ religione simplices idiotas aniliter & superstitiosè obstrinxerint. Inter alia isti longè antè denunciarunt, fore hominem Britanniam oriundum, qui exercitum inuictum ex bellicosissimis militibus conduceret, qui Hibernorum insulam victoriis suis illustraret, qui bellatorum ferocitatem comprimeret, omnemque resistens triumphum eriperet. Britannici fatidici, imò verò omnes vetulæ huius herois in Hiberniam aduentum præcognoscere, hanc vaticinationem cottidianis sermonibus usurpare. Hic verò Hiberni furere, & bacchari, quoties Britannus aliquis eorum aures fastidioso hoc oraculo obtundebat. Quin & Hibernici vates nihil à Britannicis magnoperè dissentire. Futurum enim augurabatur Britannum,

Britannici & Hibernici vates Patricij aduentum in Hiberniam prædicant.

num, qui in Hiberniam cū suo ligno aduentaret, cuius mensa in Oriente poneretur, quæ diuinis cantilenis personaret, cuius ministri, *Fiat*, responderent. Hunc fore qui Hibernos domaret, fana dirueret, patrios deos & penares è tota insula exterminaret, ad summam, illius doctrinam nullo vnquam exitu cōcludendam. Isti verò augures, tanquam talpæ, tetrīs tenebris obscurati, quid effutiebant, prorsus ignorare. Est enim Dæmon veterator callidus, suosq; sectatores infidelitatis nocte obcæcatos, nominum ambiguitate ludificare præclare nouit. Nam fatidici nihil minus somniabant quàm de vno homunculo: contraq; illum maximum fore regem diuinabant, qui multo magnoq; comitatu seipsum stiparet, qui cum ingenti exercitu Hiberniam inuaderet, atque omnium bellorū victor esset. Ceterum diuinitatis prouidentia notauit & designauit ad hanc lauream Patriicum nostrum. Is enim cum ligno venit, qui nihil sapiebat nisi Christum, & hunc crucifixum. Regium etiā & præpotens erat, Christi vexillum sufferre, dæmonis furorē ab hominibus auertere, perfidiæ caliginem discutere, Christianam Rempub. componere, seruatoris gloriā propagare, nō corpora laniare

Dæmon veterator callidus.

armis, sed corda Euangelij dulcitudine demulcere. Hoc igitur effatum victoriæ, peruagatum vsque ad vltimos vtriusque insulæ fines, imposuit Hibernis de die in diem solitudinem atque onus: quare, populo conuocato, post longas ac difficiles deliberationes, vnâ animorum conspiratione constituunt bellum adparare, & Britannos si non armis deuincere, saltem repentinis incurfionibus, tanquam sempiternos hostes, vexare. Hoc enim modo fatorum auctoritatem & fidē imminuere credebant. Magna hæc fuit inopia consilij. Nam si omnia fataliter eueniant, vt plæriq. infideles statuunt, quid tam fatuū, quàm fatis occurrere & obsistere, vel gigantum more cum diis immortalibus bellum gerere? Nec enim humanis neruulis potest impediri, quod anticipatâ fatorum necessitate est constitutū. Hiberni tamen omnem conatum in Britannorum perniciē parant, & cum exercitu collectitio ex piratis aliisq; conductis hominibus conflato, naues conscendunt, in maritimas Britanniaë oras impetum faciunt, agros vastant, villulas inflammant, & multorum sanguinem, summâ intemperantiâ helluantur. Aliqui verò omnem humanitatem non exuunt, sed victoriam

*Fatorum futu-
silisat.*

*Hiberni Bri-
tannos inua-
dunt.*

riam quoquo modo temperant: Siquidē ali-
 quam multos ingenuos pueros & adolescen-
 tulos partim dedititios, partim captiuos ex
 Britannia abripiunt. In horum numerū Pa-
 tricius, iam tum ephœbus, peruenit. Post hu-
 ius prædæ sectionem venalitiij Archipiratae
 Patricium Hibernico Dynastę vendiderunt.
 Plagiarius seruum de lapide emtum porco-
 rum gregi præfecit. Homo adolescens in hoc
 fortunæ flexu constitutus, cœpit has mole-
 stiarum moles temperatè ferre, omnemque
 libertatis suæ spem in Christi bonitate col-
 locare. Sexennium hanc seruitutē Patricius
 seruiuit. Quo spatio magnas & acerbas mi-
 serias exhaustit. Etsi enim tyrānus adolescen-
 tem, propter suauissimos atque optimos mo-
 res, diligentiam, nauitatemque vnicè dilexit,
 tamen barbara illa ac perfida viuendi licen-
 tia, & futiles adulterinæ religionis ceremo-
 niæ nauseam Christiano captiuo dederunt.
 Nam licet ipse ab officio non discederet, sed
 tanquam bonus Lot inter malos ciues castè
 sancteque viueret, tamē intimis sensibus an-
 gebatur, tantam hominum multitudinē in-
 fidelitatis tenebris circumfundi, atque ad in-
 feros pœnas in perpetuum luere. Quocirca
 cōtinuis precibus numē obsecrabat, vt gen-

*Captiuos in
Hiberniam
ducunt.*

*Capitur ab
Hibernis
Patricius an-
no aetatis 16.*

*Porcorū gregi
præficitur.*

*Sex annos in
seruitute vi-
uit.*

Angelus dormienti Patricio adparet, & libertatem promittit.

Thesaurum in agro Patricii reperit.

tem hanc ab illâ perfidiâ nascâ, quâ eam humani generis hostis iam diu irretitâ tenuit, expediret, eumque ex hac sordidâ seruitute in pristinam libertatem vindicaret, quo facilius & felicius ad Hibernorum salutem omnes liberti curæ, vigiliæ cogitationesque elaborarent. Hic Deus petitoris ærumnas miserari, eiusque precibus & optatis occurrere voluit. Nam dum certo quodam tempore arctior Patricium somnus tenet, iuuenis, admirabili dignitate fulgens, ei multa de nocte adparet, qui illius animum molestius leuat, dormienti benignè promittens, Deum opt. max. eius votis non defuturum Patricius, somno solutus, animum ab angoribus abduxit, sibi que maximam spem ex Angeli consolatione comparauit. Non ita multo post, dum porci, quorum custos erat, terrâ nasus effodiunt, vnus ex grege glebam amouet, quæ non mediocrem auri vim opacare videbatur. Hunc ubi thesaurum captius conspexit, statim ei persuasissimum fuit, congiarium illud ex diuino ærario cælitus ad eum fuisse missum. Paucis interpositis diebus peropportunum tempus nactus, sermonem cum Hibernico Dynasta instituit, & quasdam verborum ambages interponens hominis mentem sagacius odorari

odorari cœpit, an scilicet licitum esset, à seruitute redimi. Herus toto capite annuit, modo numerato illi satisfacere posset. Perpau-
 cis hîc verbis vltro citroq; habitis, Patricius depactus est cum eo, nullamq; interponens moram aurum persoluit, & tyranni dominitu liberatus reditum in patriã maturare incipit. Quare proripuit se quàm celerrimè potuit ex Dynastæ ditione. Nã hominis voluntatem flexibilem esse optimè sciuit, qui licet pecuniã captus aliquam seruitutis intercapedinem concederet, verisimile tamen fore, tyrannum, ingenium suum ad omnè dolum & falsitatem versantem, fidem labefacturum; ideoq; fatius esse iudicauit, discessionis celeritate libertati suæ cõsulere, quàm itineris tarditate callidi ac versuti hominis religionem experiri. Atque hæc opinio libertum non fefellit. Commodum enim biduo adfuit, cum Dynasta, propter serui sui abitum, magnum animo ceperit dolorem: equo igitur aduectus Patricium omni vi atque incitatione est persequutus. Verùm operam homo fraudulentus & mendax perdidit. Nam Patricius post manumissionem, cum minimi dilatione temporis exasperrimis barbaræ crudelitatis periculis prudens

*Auro reperto
seipsum à seruitute redimò.*

*ed. anal. cl. d. d.
cl. d. d. d. d.
cl. d. d. d. d.
cl. d. d. d. d.*

*Patricium
fraudentis
herus persequitur sed
frustra.*

dens & prouidus euolauit. Quin etiã pecuniam, quam à seruo accepit, non vsque adeò huic auaro vsui fuisse, nonnulli veterum rerum pronuntiatores literis mandarunt, quia pactiõnem, quam repromisit, rescindere nimis iniquè voluit.

Mali dum bonis obesse student, prodesse solent.

Profit multis Patricij captiuitas.

Percurrenti mihi hoc in loco, & perquam diligenter seriem ordinemque euentorum contemplanti nonnulla occurrunt, quæ certè silentio nõ debēt præteriri. Primùm, Deũ ex improborum flagitiis multũ emolumentũ, admirabili suã prouidẽtiã, elicere: vt etiam in his ipsis rebus, quibus mali bonis obesse, omni cogitatione, cupiunt, bonis prodesse perinuiti soleant. Tum deindẽ, Numen seruis suis, etiam cum tempestas offertur formidolosissimi temporis, semper præsto esse; & quanquam eorum petitiones in opportunum tempus differt, tamen procrastinationis tarditatem auxiliij certitudine adfluentem compensat. Et item illud considerandũ est, Deum istam temporis diuturnitatem, quã Patricius seruitute premebatur, ad multorum cõmodum salutariter inclinasse. Nã si primo mense, quo captiuis in Hiberniam venerat, libertatem recuperasset, tantas, opinor, vigilias & curas in Hibernorum salute ac incolumitate non

non defixisset. Patricius itaque (vt institutū ordinem prosequamur) in maritimo opidulo, Beri, nominato, tota paschali celebritate commoratus, tempus non inaniter consumpsit. Eggit enim cum hospite, qui iam tum infidelis erat, de Christianā fide; quem non per-pugnacē in disputando habuit, quoties cum discipulo sermones doctor contulit. Nā qui incrementum dat Deus, aditum cælesti gratiæ in auditoris mēte patefecit. Quare ex tenebricoso perfidiæ gurgustio emergens, in Christianorum numero non ita multò post per salutarem vndam fuit repositus. Huic filius natus erat, Bionnus dictus, egregiā dignitate præcellens puerulus. Is, simulac Patriciū conspexit, in eius collū inuasit, multasq; horas in eo suauizando consumpsit. Parentibus, qui pueri morositatem probè nouerant, hæc inusitata beneuolentia mirāda accidit, quòd primo adspectu in noui diuersoris familiaritatem intrasset, eamq; gratiam non inuitanti concessisset, quam aliis inuitatibus hætenus denegarat. Nam si eum Patricius oculis, auribus, complexu non teneret, plangore & lamentatione complebat domum. Patricius pueri gratiam magis ac magis colligere. Ille verò Patricium germanissimum suū paren-

Patricius hospitem ad Christi fidem conuertit.
1. Cor. 3, 7.

Eius amore hospitis filius ardet.

B 5 tem,

tem, Hiberniæ regē, magni Dei præconem, dæmonum exagitorē, honorificentissimis verbis nominare. Atque hæc eclogia adstantium risum maximè mouerunt: Verùm puer illa omnia eius instinctu cõcitatus fudit, qui ex ore infantium & lactentium laudē suam perficere nouit. Dũ hæc in diuersorio aguntur, aura transmissioni in Britaniam non inopportuna adflare incipit, atq. hoc ipso tempore oneraria nauis in portus ore vectores expectat. Quod vbi Patricius intellexit, moram atque impedimentum navigationi inferre noluit. Rhedam igitur conscendens, hospiti suo, cum totâ familiâ plurimis verbis plurimam salutem dixit: Quē vbi Bionnus discedentem aduertit, patrem, patrē semel atque iterum contenta voce inclamat: me tibi, inquit, socium adscribas, à tuo latere non discedam, domi hîc non sordescam. Hîc naturalis pater, interdũ orare, quandoq. etiam minaciter terrere. At puer nec blanditiis alligi, nec minis compelli potuit, vt à Patricij soliditate se disiungeret. Vbi Christi seruus ad eò virilem constantiam in puerili leuitate perspexit, admirans dixit: Verè cęlestis pater huius pueri nomen in æternæ vitæ palimpsesto inscripsit: ascendat ergo currum: eum mihi filium

Psalm. 8, 3.

*Patricius in
Britanniam
nouis ore pa-
rab.*

*Bionnus puer
post Benignus
dicitur, se comi-
tem Patricio
adiungit.*

filium adoptabo, & illius amorem, vt par est, amabo. Quanquam autem parens filiolum in deliciis singulariter habuit, suam tamen voluntatem ad diuinam aggregauit, puerumq. in celsum coniectum Patricij tutelæ, egregiâ animi alacritate, commendauit. Hic, paucis interpositis mensibus, aquis salutaribus expiatus Benignus nominabatur. Qui institutus educatione doctrinaq. Christianâ, quam plurimis hominib⁹ (vbi ætate processit) & vitæ puritate, & optimarû artium studiis non modò extremis atque alienis locis, sed domi etiam saluti fuit. Cùm igitur omnes vectores (redeo ad ré) plenissimis velis mare tránsissent, & certas siluestres ac incultas Britannix partes errantes peragraissent, pagani, quibus se comitè Patricius præbuerat, inediâ, quâ biduum tulerant, debilitati (quandoquidem in vastâ solitudine nullû cibum, quo famem pellerét, vel precio vel precario adipisci poterant) diuinitatem perfidis maledictis cœperant figere; atque Patricio nimis iracundè ac valde intemperanter vt probrum obiecerát, illius Deum, quem hætenus tam magnificis verbis in cælû extulit, fautoribus suis in asperis rebus auxilium non ferre. Nam, inquiunt, si talis fortè Deus existat, consequens est, vt
aut

Benignus progressu temporu vir sanctus euasit.

Pagani ob famem impatientes.

aut facultas voluntati, aut voluntas facultati defuit. Hoc si dederis, est impius; illud si concesseris, est ridiculus. Quid enim magis impiū esse potest, quā seruis suis (in quorū numerum te adscribis) in tātis angustiis opitulari nolle? Aut quid magis ridiculū & eneruatū est censendum, quā adferere, penes illum esse omnem omnium rerum potestatem, cui non est integrum, in asperis temporibus, adleuamenti quidquam famulis suis, in extremum discrimen adductis, adhibere? Patricius sceleratissimis perfidorum vocibus irritatus respondit, hunc, quem ille colebat Deum, esse re vera Deum, hoc est talem, qui cæleste auxilium à suis famulis frustra implorari nunquam permittit: quorum vitæ (vt aliarum rerum omniū) non solūm est defensor, sed etiam cōseruator. Eius esse proprium munus, dare salutē, liberare periculis, qui nisi plenus esset clementiæ, mansuetudinis, patientiæ, non dubium fore, quin terræ hiatus eos, inexpiabile scelus anhelantes, deuoraret, aut crispifulcans aliquod fulmen vitā illis repentinò eriperet: Deum tamen ita improborum sceleribus conniuere, vt præsentis nequitæ poenas in diem, numini notum, sceleratis incertum, seuerus vindex reseruet. De
cuius

Eorum blasphemis Patricius occurrit.

cuius item potestate non esse dubitandum, cuius verbo totius machinæ fabrica fuit cōstituta; voluntatem etiam infinitis laudibus prosequendam, qui bonitate sua cuncta sustētat, qui adflictos excitat, fessos recreat, miseros tutatur, postremò qui omnibus, eius fidem imploratibus, adiutricem manum per benignè porrigit: contraq; illorum deos futiles ac amentitos esse, truncos etiam, quos fabricum industria edolauit, omnes simili stupiditate imbutos, qui in exciso stipite aliquam salutis spem collocarent: ad extremum illos iniquos esse rerū æstimatores, qui hoc in eius Deo desiderabant, in quo ipsorum dij iustissimè reprehendi possunt. Nā si quid (inquit) habeant adiumenti, fustuarium merentur, qui opitulari eis recusant, qui istos eosdem deos colere, precari, venerariq; consuescunt. Quod si minimè valeant, cum maximè velint, vobis in his difficultatibus auxiliari, quousque tandem aliquam speculæ particulam in illis ponetis, de quorum viribus longo interuallo desperatis? Hic homines audacissimi, cum ipsorum causam hoc molesto ac difficili argumēto premi animaduertissent, capitibus demissis, obmutuerūt. Patricius verò, sensim incedens, illos anteire est passus,

*Paganorum
dij ridiculi.*

*Deo pro
piis pagano,
vir sanctus,
preces fundit.*

passus, humiliq; stratus prece & obsecratione supplici Numé exorauit, vt famam suã, perditorum famem depellendo, amplificaret: „ quorum (inquit) fateor scelera perpetuo digna sunt supplicio, presenti indigna subsidio. „ Verùm illis tua misericordia hanc gratiam concedat, quã eis tua iustitia meritissimo negare posset. Improborum dicta factis refelle. Sic enim fortasse eueniet, vt eos tum infidelitatis pigeat, tũ horribilis blasphemix pudeat. Hic cum religiosus flagitator non nihil spatij in acerrima meditatione posuisset, insolitam sibi celeritatem susceperat, atque antegressos viatores, subito gaudio cumulat, erat persequutus. Dum iter simul ad quandam siluam conuertunt, ecce tibi grex porcorum, inter quos nullus erat gracilitate strigiosior, peregrinatoribus occurrit. Atque ad hoc pabulũ plus additamenti accedit. Nam conspiciunt in cauis, ac geniculatis arborum partibus apum examina, in quibus faui, filuestri melle farti, redundat. Pagani, cibi desiderio æstuantes, vi & impressione porcos mactant. Tãtũ autem abfuit, vt hoc beneficium, diuinitus in eos, sanctissimi adolescentis precibus, collatum, isti agnoscerent, vt totum illud idolis pessimã mente acceptũ ferrent:

Eius preces exaudiantur.

Pagani Dei benignitati nimis ingrati.

rent: quibus, religionis scilicet causâ, hostias immolabât. His rebus de more peractis, auidi epulones carne & melle sese ingurgitant. Verùm Patricius, licet sepius inuitatus, compransor sedere renuit: partim quòd totum illud dæmonibus litaretur; partim vt Domini nostri effatû certû & verû confirmaret, non in solo pane viuere hominẽ, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Per hos dies capitalis quædum hæresis, de Christi gratiâ difficillimè sentiens, multorum animos tabificâ peste infecit. Huius erroris antesignanus fuit Pelagius, diuinæ gratiæ acerrimus aduersarius. Docuit enim, humanû arbitrium, etiam cælesti gratia nudatû, sufficere ad æternam felicitatem comparandam. Quanquam verò D. Paulus omnes huius controuersiæ latebras intima disputatione fuit perscrutatus, ipsaq; prima bonorû cogitata diuinæ gratiæ adscribèda esse, pronûtiatis solis luce clarioribus demõstrauit, tamẽ Pelagius ac eius ad seclæ fatius esse censuerûnt, Apostoli mentem ad priuatos sensus proiectâ audaciâ detorquere, quàm priuatos sensus ad illius mentem Christianâ humilitate adplicare. Verùm perfidis & profligatis hisce hominibus sese opposuit S. Augustinus, diuinæ gratiæ,

cum

Matth. 4, 4.

*Pelagiana
hæresis circa
annum Salu-
tû 394.*

1. Cor. 4, 7.

2. Cor. 3, 5.

Ephes. 2, 8.

*In libris de
prædest. Sanct.
De natura &
grat. De spi-
ritu & litera,
De gratia &
libero arbitr.
multisq. aliis
locis.
Vincet. Illiren.
Beda Hist.
Angl. lib. 1.
cap. 10, & 17.*

*Britanni Ca-
tholici Gallo-
rum Episcopo-
rum opem im-
plorant.*

*S. Germanus
& S. Lupus
in Britannia
navigant.
Beda lib. 1.
Angl. Hist.
cap. 17.
Pelagianos ad
disputandum
provocant.*

cum à D. Paulo discesseris, & venator sagacissimus, & propugnator acerrimus. Quorum errores cum ex multorum mentibus spiritus euelleret, vera & palmaris sententia, Catholicorum consensu firmata, alterâ illâ sibilis explosâ, in Ecclesiâ principatum tenuit, & ad summam diuinæ gratiæ gloriâ floruit. Pelagij tamen fautores, quorum principes erant Cælestius, Iulianus de Campaniâ, & Agricola, de humanis viribus, diuino auxilio orbatis, balbutientes, simplicium mentes falsis opinionibus imbuere toto animo & omni studio laborarunt. Catholici verò Britanni hoc malum domi longius serpere intelligentes, literas ad finitimos Galliæ Episcopos dant, à quibus enixè contendunt, nobiles ac in argumentando exercitatos Theologos in Britanniam adlegare, qui cõtra id, quod Pelagiani adserunt, accuratè & exquisitè disputent, ne quid Catholica fides detrimenti, diuturno silentio, capiat. Galli fratribus Catholicis recta & honesta petentibus, minimè desunt: Siquidem S. Germanum, Episcopum Antifiodorensem, & S. Lupum, Trecaffiæ Episcopum (par Theologorum literatissimum) in Britanniam quàm primùm mittunt. Hic Catholicæ fidei propugnatores concertatorium

rium

ETUD

rium bellū hæreticis indicere. Pelagiani verbis certamen adpetere, re ipsa disputationem omnem diffugere, non insolitā hæreticis timiditate. Etsi enim, dum soli sublatè ample- que declamarent, insipientium oculis, verborum præstigiis, tenebras offundebant (siquidem est perfacile non aduersantem superare: nihilq; existit ita improbabile, quod non nugatoria sophistæ loquacitate fiat verisimile) tamen cum in aciem dimicationemq; veniendum esset, vbi aliud videretur orationis pigmentis aduersario repugnare, aliud rationis momētis aduersarium expugnare, volebant quasi pugnando tergiuersari. Catholici, acri & præsentis animo præditi, instare, vrgerè, tubarum veluti sono hostes certamè procraftinantes ad pugnam prouocare. Pelagiani ad arma compulsi tandem aliquando magna cum difficultate (nā nihil inuito facile existimo) milites in propatulum locum congregant. Germanus & Lupus certamen cum illis instituunt; argumenta neruosè vibrant; acriter concludunt; hostes diuerticula quærentes in Solem reuocant; debilitatè & abiectiōnem animorū omnibus significantius manifestant; fucos, quibus hætenus idiotis imponebant, denudant; quidquid plausibile

Hæretici dum soli declamant, imperite plebecula fortes videntur: dum disputant cum doctis, indocti inueniuntur.

C

bile

*Pelagiani succumbunt Catholicis.
Conuitiis non argumentis Catholicos inuadunt.*

Patricius S. Germano se adiungit.

bile & popolare hæretici proferunt, inauratum, non aureum esse demonstrant. Pelagiani itaq. hæsitatione tractuq; verborum tempus consumunt; & quos argumentis verberare nequeunt, contumeliarum iaculis confodere incipiunt. At verò Catholici eorum conuitiis Christianâ patientiâ; ratiunculis, si quas adferunt, exquisitâ doctrinâ occurrunt. Hic ubi auditores (inter quos multi aderant, qui sese in Pelagianas partes dabant) duces & doctores suos metu ac diffidentia fractos & debilitatos animaduertunt, in Catholicorum partem in singulos dies magis magisque inclinant. A quo tempore diuinæ gratiæ propugnatio & propagatio bene gratiosa apud illos permanfit. Cùm igitur Gallorum Pontificum nomen in Britannîa celebratum esset, Patricius noster omnibus quibus viis potuit, se in S. Germani familiaritatē insinuauit. Verùm difficile factu non fuit ad tam adfabilem virū adspirare: qui sanctissimi auunculi lectissimum nepotem in familiaritatem libentissimè recepit. Sed hoc in loco mihi discordare scriptores videtur. Nōnulli enim commemorant, Patricium isto ipso tempore, se ad amicitiam Germani contulisse, & vnde viginti annos cum sancto Pontifice studiis

diis & exercitationibus coniunctum vixisse. Aliis verò placet, D. Martinū, Patricij auunculum, sancto Germano, quasi doctore, hunc suum nepotē tradidisse, in cuius sinu & cōplexu quadraginta annos vixit. At existimo in hoc erratum, si ordines temporū ritè explicentur, quoniam S. Germanus triginta solum annos & 25. dies Pontificium honorem obtinebat: Deinde etiam si verum sit, quod à Platinā memoriæ est proditum, S. Germanum auctoritate nutuque Celestini primi, Pontificis maximi, in Britanniam fuisse missum, siue primum, siue secundum aduētum eius intelligamus (bis enim ad Britannos S. Germanus nauigauit, primū cum Lupo, postea cum Seuero Treuirorum Episcopo) hæc familiaritatis diuturnitas minus credibilis videtur. Quandoquidem Celestinus primus octo solum annos, cum quorundam mensium & dierum adiectione, Ecclesiæ gubernacula tenuit, qui hunc, quem in manibus habemus, Patricium ad Hibernos legauerat, anno Salutis 425. cū Celestinus biennium in Pontificatu vixisset. Quod ex diligenti temporum notatione facile adparet. Quanquam autem est inter eos, qui memoriam antiquitatis colligunt, de numero an-

*Vide eius vitā
in Surio tomo
4. die 31. Iulij
lib. 2. cap. 35.
Et Bedam hist.
Angl. lib. 1.
cap. 17. & 21.
Plat. in vita
Celestini primis
num. 43.*

*Vide Surium
ubi supra li. 7.
cap. 19. & sequent.
& li. 2.
cap. 1. & sequent.*

*Vide Onuphr. 11
in Chron. Rom.
Pontif.*

*Anno Domini
425. Patricius
ad Hibernos à
Celest. primo
est missus.*

norū controuersia, consensu tamen vno cō-
 centuque narrant, Patricium permultos an-
 nos S. Germani familiarissimū fuisse. Quod
 ipsum in magnā laude ponundū duco. Nam
 si ille Romanus ex eo necessariò effici vo-
 luit, Marcum filium, magnos in præceptio-
 nibus decretisq; philosophiæ progressus ha-
 buisse, quòd annuo tantum spatio Athenis
 Chrysippo operā dederit; quanto magis Pa-
 tricius, non modò eximiis artibus eruditus,
 sed vsu etiam ac sanctitate admirabilis exsti-
 tisse putandus est, quem S. Germanus, præsul
 spectatissimus, contubernij necessitudine se-
 cum habuit multos annos coniunctissimum;
 qui veræ philosophiæ nobilitate infinitos
 Chrysippos superauit: cuius castissima do-
 mus & Diœcesis omnium virtutum exem-
 plis Atticorum scholis plurimū præstite-
 runt. Magni quidem interest, cum perfectis
 hominibus planeque piis ætatem conterere,
 quorum exemplo adsuefacti qui erunt, ne-
 cupientes quidem vix poterunt non bene
 viuere. Certè D. Paulus cum Iudæorū ani-
 mos, maleuolentiā in illum suffusos, mitiga-
 re conaretur, quò maiorem doctrinæ suæ fi-
 dem faceret, secus pedes Gamaliel se erudi-
 tum iuxta veritatem paternæ legis, palā pro-
 fitebatur.

*Multum in-
 terest cum bo-
 nis viuere.*

Act. 22, 3.

fittebatur. Nam probè nouit vas electionis illud apud Iudæos multum ponderis habuisse, modò similitatem deposuissent, & integram causam, ab aduersariis suis variis contumeliis extractam, æquabili rationis statera ponderassent. Sed iam vt ad id, vnde digressi sumus, reuertamur, Patricius, qui iam tum Magonius vocabatur, sanctissimi Pontificis familiaritatem ad multorum commodum progressu temporis conferebat. Nam se totum in literas interiores abdidit, & animum à mundi illecebris, vt antea semper, ad pietatis studium, inexhaustâ auiditate, transtulit. Omnes interim cogitationes ac labores in primis ad Hibernorum salutem secundum suam direxit. Vix aliquod tempus illi vacabat, in quo Hibernorû miseræ ei ante oculos non obuersabantur. Neque solùm vigilans ad hanc curâ meditari solebat, sed somnians etiam videbatur literas per statorē ab Hibernis accipere, in quibus eum iterum atque iterum rogabant, iter ad eos celerrimè arripere, gregemq; illius clientelæ commissum, præceptis institutisque Christianæ fidei imbuere. Atque eodem temporis articulo videbatur sibi videre infantes Hibernorum pueros partim quasi in maternis aluis mobi-

Patricius omni sedulitate literis operâ dat.

In Hibernorum salutem omni cura incumbit.

Illius industria per somnia incitatur.

liter palpitantes, partim in cunis perquã flebiliter vagientes, qui querimonias agerēt, & hæc in illius aures verba insurrarent: Quo- usque tandē retardabis (Dei minister) in Hiberniam reditum? Quamdiu nos dæmonis immanitas illaqueatos tenebit? Quam ob causam libertatem nostram adeò oscitanter procrastinas? Nihilne te dæmonum diritas, nihil perditorū ærumnæ, nihil interitus tantarum animarū, nihil cottidiana infantium expectatio, nihil desiderium Hibernorum omnium, nihil horum lamenta eiulatusque excitabunt? Nos in damnatorum pistrinum impingi non intelligis? Impatibilē, quā premimur, tyrannidē non cernis? O pater, ô Pastor, da te nobis, fer opē, ad nos propera: propera? imò verò velocissimè aduola. Nos ex dæmonis faucibus, Dei tui gratiã fretus, eripe; vincula, quibus dstringimur, conuelle. Hoc quasi ploratu Patricius subito expergefactus diu multumque tremantibus artibus in somnij meditatione hæsit. Neq; enim sine Numinis instinctu tale quid dormientis mentem occupasse, facillimè sibi persuasit. His igitur calcaribus currens incitatur, ac flagrās eius studiū, perinde ac si flammæ oleum instilletur, ardentius accenditur. Romā con-
tento

tento studio cursuq. pergit: Celestino Pontifici maximo pro Hibernorum salute se supplicem abiicit. Quam grata verò hæc petitio Celestino fuerit, ex his quæ sequuntur facile constabit. Nam paullo antè quàm Romam Patricius aduentasset, Pontifex maximus quorundam literis certior erat factus, multos in Britannia, aliisq; territoriis finitima vicinitate coniunctis, Pelagiana hæresi depravari, & veros ac germanos Christianos partim infidelium importunitate, partim hæreticorū procacitate magis ac magis exagitari. Ex quo nuntio multorum iudicio maiorem animo dolorē cepit. Nihil enim sanctus Antistes antiquius habuit, quàm Britanniam ac finitima loca ab infidelitatis & hæreseos tenebris ad Euangelij lucē adducere. Totum itaque negotium principibus Romanæ Ecclesiæ Præsulibus diligentius & accuratius cogitandū cōmisit. Interfuit huic cætui Palladius, Archidiaconus omni tū doctrinæ tum pietatis dignitate ornatissimus. Is itaque in Christi vineto operari non mediocri animi

Romam contendit, ac Pontifici maximo se supplicem pro Hibernis præbet.

Palladius ad Hibernos præmittitur.

tos legatum mittit, magnaq; cæremoniarum
 follennitate sacram scripturam ac varia reli-
 quiarum monumenta multis spectantibus
 peregrinanti adtribuit. Paladius verò simul
 ac in aquilonari Hiberniæ plaga (siquidẽ Hi-
 berna dicebatur id temporis Scotia, vt alibi
 notauimus) pedem ponit: barbari effrenatã
 audaciã contraueniunt, sanctumq; Ponti-
 ficem ac reliquos Romanos, quos sibi socios
 & adiutores adiunxit, in maximum pericu-
 lum adducunt. Paladius, re visã, cum sodali-
 bus, iusto metu perterritis, se in fugam dat,
 in finitimas Scotiæ Albanensis insulas iter
 confert, vbi Euangelium prædicando multo-
 rum animos à pristinã perfidiæ cæcitate ad
 veritatis lumen traducit. Non diu in illis par-
 tibus erat commoratus, cum eius nomen ad
 Britãnos Scotos, præsertim Christianos fame
 celebritate peruenisset, quocum per crebras
 literas egerant, ab istis raris & angustis locis
 recedere, & eos inuisere, apud quos cum ma-
 iore securitate, & non minore vtilitate suum
 munus præstare posset. Paladius ad illos vi-
 cissim literas dat, amoris ac caritatis plenas,
 in quibus se nõ nolle respondet, modò sum-
 mus Pontifex id ei negotij det, à cuius san-
 ctitate mandatum habuit, de certis finibus

*Hibernic. rerũ
 lib. 1. & in ap-
 pend. cap. 17.
 & 19.*

*Hiberni Pala-
 dius ac socios
 in periculum
 adducunt.*

*In Scotiam
 Albanensem
 fugit.*

*Ad Britãnos
 Scotos Paladius
 inuitatur.*

*Nihil sine Pon-
 tificis maximi
 auctoritate fa-
 cit: qui Scotorũ
 rogatu ei in illis
 partibus euan-
 gelizandi au-
 thoritatem con-
 cedit.*

per-

peragrandis, extra quos egredi, ac Euangelij
sementem facere iniussu eiusdem Pontificis
non fas esse rescribit. Scoti his literis perle-
ctis, Pontifici maximo supplices sunt, quem
satis exorabilem inueniunt, propterea quòd
tunc temporis Patricius Romæ, vt supra di-
xi, pro Hibernis intercessit; cui fanè diuina
prouidentia integrum negotium reseruauit.

*Patricius in
Hiberniam à
Celestino mit-
titur.*

*Cur Patricius
dicitur.*

1. Cor. 4. 15.

Hunc igitur nostrum Celestinus pontificia
dignitate ornat, honoris etiã causã Patriciũ
appellat (ex quo tẽpore Magonius vocari est
desitus) partim quòd priscis temporibus or-
do Patriciorum magnã in Romanã Repub.
dignitatem haberet, partim quòd Celesti-
nus iam antè quasi quadam præfagitione di-
uinaret, hunc nouum legatum multorum
ciuium patrem fore, qui in Christo Iesu per
Euangelium eos gigneret. Ad hoc nominis
veriloquium respexit ille, quisquis fuit, ve-
tulus scriptor:

*Sonat Patricius iam pater ciuium,
Multorum ciuium & pater plebium,
Habitus Hiberniensium & Glãstencium
Sortitus meritò tale vocabulum.*

Patricius itaque omnibus rebus, quæ susce-
pto ac recepto huic negotio necessariæ ef-
sent, adfluẽter instructus, iter ad Hiberniam

C 5 habuit,

*In Hiberniam
navigat anno
425. vel ut
alii placet 430.*

*Bene ab incolis
acceptus.*

Matth. 3. 9.

habuit, ad quã mare traiectus est, anno Salutis humanæ 425. De cuius aduentu cum ad incolas adlatum esset, magnus ex omni parte ad illum cõkursus fiebat. Etsi enim reperti sunt nonnulli sicarij, in quorum animis humani generis hostis tyrannicũ principatum occupavit, qui Præsulem ab Hibernicis finibus arcere sunt conati, tamẽ maior plebeculę pars, ad eum alacris & læta confluit, quem non tanquam inquilinũ repellere, sed ut domesticum ac familiarẽ certatim suaviari cõperunt. Inerant in Patricio permulta inuitamenta, quibus Hibernorum benevolentiam facillimẽ colligebat. Egregia fuit oris dignitas, verborum comitas mira, summa absque morositate grauitas, quæ sermonis suauitate, tanquam mellito succo, perspersa, non tã timeri ab intuentibus, quàm amari consuevit. Ad hæc Hibernicẽ loquendo cuius Hiberno par erat: incolarum item venas iam inde ab adolescentiã optimẽ tenebat. Nam quid illorum voluntatem læderet, quid rursus conjunctionem conciliaret, longo imbutus vsu cognitum ac exploratum habuit. Verũ humana erant ista. Princeps autem caussa conciliandi benevolentiam fuit Deus opt. max. qui ex lapidibus fuscitare filios Abraham potest,

test, cuius singulari beneficio discipulorum
 corda sunt ardentia, dum illis scripturam ape-
 rire dignatur. Venit etiã in tanto populi con-
 cursu Patricij salutandi ac visendi gratiã, Al-
 bius Episcopus Hibernus; siue is existitit
 Palladij discipulus, siue antea in aliis orbis
 terrarum partibus nonnihil adtigerit doctri-
 nã Christianã, pro certo non habeo. Domi-
 etiam credibile est eum doctũ fuisse nostrã
 religionis præceptis. Nã quibusdam placet,
 qui in antiquitate percipienda multum labo-
 ris posuerunt, D. Iacobum cum occidentes
 mundi plagas peragrasset, in Hiberniã etiam
 nauigasse, & nonnullos insulã habitatores fi-
 dei dotibus S. Apostoli prædicatione mune-
 ratos fuisse: cũq; posteri maiorũ vestigiis infi-
 stere nõ desisteret, aliquos, tradunt, etate Pa-
 tricij repertos esse, qui impressam eiusdẽ do-
 ctinã orbitã consecrabantur: qui tamen per
 totam illam continuationẽ seriemq; anno-
 rũ, inter infideles, vt per pauca margaritã in-
 ter multos vmbilicos sparsim delitescere so-
 lebant. Verẽ an secus, in nullam partẽ dispu-
 to. Ast quantã perfectione Christiani officij
 Patricius suum negotium in Hiberniã trans-
 egerit, deinceps videtur explicandum.

*Vidlegendam
 nouam Angl.
 in vita S. Pa-
 tricij.*

*videtis illud
 in vita S. Pa-
 tricij.*

DE

DE VITA SANCTI

PATRICII, HIBERNIÆ

APOSTOLI,

LIBER SECVNDVS.



PATRICIVS igitur celeberrimâ populi gratulatione, vt antè scripsi, acceptus, stato quodam die cõcionem vidit maximam, suspensis atque occupatis animis exspectantem, quid noui tandem nouus hospes tantæ taliq̃ue coronæ nunciaret. Auditorum itaque exspectationi pius præsul occurrens, huiuscemodi eis adhibuit orationem: Si quis intraret in aliquod ergastulum, intolerabili pædore foetidum, in quo magnam frequentiam & multitudinem hominum offenderet, quorum corpora constricta essent vinculis, quorû membra carnifices, omnem humanitatem abicientes, continuistormentis laniarent: credo ego, illius aduentum his miseris fore exspectatissimum, qui eos viâ & ratione doceret, quomodo possent, si modò velent, à molesto & putido pædore ad odorum

*Sancti Patricij
ad Hibernos
concio.*

I rum suauitates, à terris tenebris ad lumen
Solis, à diuturnis vinculis ad nouam li-
bertatem, à grauibus pœnis ad desidera-
ta solatia, sine vlla retractatione, perueni-
re: Hoc cùm ita naturâ comparatum sit,
vt certè est, non possum, non adduci in
spem maximam, mecum vobis aduentum
pergratum fore, qui idem sanè nuncius sum,
qui vobis captiuis optatum nuntium adfe-
ro, fontemque salutis aperio, qui vos è
longâ seruitute in perpetuam libertatem,
modò dicto audientes eritis, vindicabit.
Quorsum, inquiet aliquis, ista? Captiui
scilicet sumus, cùm liberi viuamus? In car-
cerem coniecti, qui longè lateque vaga-
mur? Iacemus in tenebris, qui cæleste il-
lud iubar apricantes conspiciamus? Mira,
Patrici nuntias, non modò à nostrâ intelli-
gentiâ disiuncta, sed etiam à consuetudi-
ne communis sensus abhorrentia. Bene
narras. Atque hoc ipso is miser quàm ma-
ximè miserandus mihi videtur, qui non fen-
tit, quantâ miseriâ implicatus viuat. Nam
si quis esset in facinore manifesto depre-
hensus, iudicis sententiâ condemnatus,
certusque dies constitueretur, quo pœnas
legibus & iudicio daturus sit, nisi ante de-

fina-

„ finitum mortis tempus resipiscat, atque ut
 „ ignoscatur, pœnitente deprecatione postu-
 „ let: nonne illius casus vobis miserrimus vide-
 „ retur, si reus sibi persuaderet, se nunquam ad
 „ tale maleficium accessisse, extra omne peri-
 „ culum esse, qua inani confidentiâ elatus, ad-
 „ missum scelus agnoscere, iudicis misericor-
 „ diam concitare, impunitatemque scelerum
 „ suorum adsequi pro derelicto habet: ad eun-
 „ dem modum nos omnes, qui vitam cū ma-
 „ ximis miseriis permistâ viuimus, in hoc vno,
 „ tota mente omniq̄ue animi impetu, ver-
 „ sari debemus, ut damna, quibus adficimur;
 „ seruitutem, qua vexamur; tyrannidem, qua
 „ opprimimur; intentis oculis intueamur; ne
 „ fortè, dum de securitate summa in periculis
 „ maximis, & de falsâ felicitate in veris mise-
 „ riis inaniter gloriamur, de omni gradu ra-
 „ ptim deiecti, ad interitum ruamus subitum
 „ & sempiternum. Primùm itaque in nostras
 „ calamitates considerationem intendamus,
 „ tum deinde quâ ratione his miseriis leuari
 „ possimus, magnâ cum curâ & diligentiâ per-
 „ scrutemur. Effector cœli & terræ molitorq̄;
 „ Deus in primâ vniuersitatis structurâ homi-
 „ nem ad imaginem & similitudinem suam
 „ creauit. Atq. in hunc communem nostrum
 „ paren-

parentem congeffit Deus ornamenta, multi-
 tudine varia; bonitate diuina; stabilitate etiã
 firma; modò ipse Numinis volũtati firmè &
 constanter paruiffet. Eum etiam in Paradiso
 collocauit, id est, in nitidissimo viridissimoq;
 campo, omni amœnitate perfuso. Cui volu-
 ptario loco nihil defuit, quod oblectaret, ni-
 hil adfuit, quod offenderet. Ceterum nõ ita
 diu tantæ voluptatis vsuram habuit. Nam,
 teterrimus hostis humani generis, dæmon,
 de cælo cum suo superbo sodalicio, ob super-
 biam, præcipitatus, parentis nostri felicitati
 maximè inuidebat. Vidit enim post suã rui-
 nam hominum genus in illius locum, diuinã
 electione, cooptari. Quocirca in hoc vnum
 omnem conatum parabat, vt aditum nobis
 ad cælitũ congressum vafre & malitiosè in-
 tercluderet. Cuius rei rationem hac astutiã
 conatus est. Posuit Deus hominem in Para-
 disum voluptatis, vt operaretur & custodi-
 ret illum, præcepitque ei dicens: Ex omni li-
 gno Paradisi comede, de ligno autem scien-
 tiæ boni & mali ne comedas: in quocunque
 enim die comederis ex eo, morte morieris.
 Hanc legem viuendi Deus homini dedit,
 quam vt primus parens perrumperet, sempi-
 ternus noster hostis omni studio eniti nõ tar-
 dauit.

Genes. 2, 15.

» davit. In quo conatu victor euasit. Nam mu-
» lierem veterator callidus ludificauit, mulier
» maritum suum in fraudem induxit: quando-
» quidem ambo fructum prohibitum come-
» derunt. Atque in hoc primo parente omnes
» peccauerunt: qui merito atque optimo iure
» reus mortis à Deo, iusto iudice, pronūtiatus,
» se ac posteros suos innatâ illâ dignitate spo-
» liauit, nostrumque collū in horribilem dæ-
» monis laqueum miserabiliter inseruit. Fuit
» enim cum suâ vxore ex Paradiso eiectus, pri-
» mis illis ornamentis atque deliciis orbatus,
» conscientiam oppressus delicti sui, ex quo de-
» licto, veluti ex impuro gurgite, omnia hu-
» mana scelera profluxerunt. Nam ante hunc
» lapsum Deus animæ partes ita ordinauit, vt
» appetitus rationi, quasi suæ legitimæ domine,
» moderandi & regendi sui potestatem tradide-
» rit. Ast vbi homo à Numinis imperio defe-
» cit, omnia fuerunt in contrariam partem ver-
» sa. Nam appetitus, tanquam intractatus & no-
» uusequus, immoderatam ferocitate, reiectis
» habenis, exsultans, rationi morigerari diutius
» noluit, imò verò in omni actione in eam domi-
» nari furibunda bellatrix voluit. Iure id qui-
» dem. Nam indignus est, cui inferiora pareat,
» qui superiori Deo obsequi recusat. Nec verò
hoc

hoc tantum interno bello ardebat homo, sed extrinsecus etiam rerum omnium confusio & perturbatio erat. Nam ipsæ bestiae, cicures creatæ, in quibus ante peccatum naturalem habuit auctoritatē homo, post peccatum immansuetæ effectæ eundem indignari cœperunt. Imò verò quocunque illius oculi inciderunt, pericula sibi vndique proponi satis perspicuè intellexit. Mare vidit, at nanctem fluctibus obruere potuit. Mōtes itidem conspexit, qui mole suâ præcipitantem obtererent, campos cōculcauit, qui inexpectato & repentino hiatu ambulantes absorberent: aërem oculis creuit, qui tabificā peste spirantem inficeret, & variis morborum cruciamētis nauseantem affligeret; ignem adspexit, qui mortale ac patibile illud suum corpusculum aut flammis amburere, aut fumo posset suffocare: In solis radios aciem intendit, cuius accessu calore cremari, contraq; discessu frigore congelari poterat. Quoties sementē faceret, toties in messe pro frumentis spinas, pro frugibus vepres, aliasq; herbas inimicissimas frugibus colligebat. Post samentorum immissionem furculi vel pruina repressi pubescere non potuerunt, vel siti exusti exaruerunt. Atque ita aduersante & re-

D

pugnante

» pugnante cæli fatu terræque conceptu, exi-
» mios labores exiguus fructus compensauit.
» Quid de ipsis hominibus dicam, quorū vnus
» alteri arma, vim, necē intentabat? Quot bella
» suscepta? Quantæ pugne pugnata? Quæ vul-
» nera afflicta? Quot clades adlata? Quanta
» multitudo interfecta? Quot homicidia per-
» petrata? Atq. ad hunc modū dæmon in vni-
» uerso terrarum orbe, tanquam in suo regno,
» tyrannidem furenter exercens, nullū genus
» crudelitatis præteriit, sed vsq. eò hominum
» mentes excæcauit, vt relicto veri Numinis
» cultu, novos sibi deos fingerent, in quorum
» clientelam, quoties in aliquam difficultatem
» incurrebant, se cōferrent. Hic Soli litare vo-
» luit; iste Lunæ superstitiosa sacraficatione se
» addixit; alius dei sui architectus idolo picto
» vel ficto diuinitatis honorē, cæco animi im-
» petu, tribuit. Singulis omnium quodcunque
» numen placebat, eligendi potestas fuit. Nam
» flocci facit Dæmon qualem quisq; Deū co-
» lat, dummodo verū Deum respuat. Etenim
» quamdiu homines ex tam crassâ inscientiâ
» laborant, non possunt non sine oculis, non
» sine mente viuere, deprauatos motus in ani-
» mis suis impressos & iniustos habere, atq. om-
» ni miseriâ ad extremum profligari. Ad extre-
» mum

mum dico, quod sanè Extremum vobis, in ignoratione harum rerum versantibus, est prorsus incognitum. Nam si vt præsentis vitæ, ita nostrarum ærumnarum finis aliquis reperiri posset, nostræ miseræ nõ essent miseræ nominandæ. Siquidẽ illud non est miserũ, in quo reperitur aliquod extremũ. Verũ aliud, præter præsentẽ, mundus existit, in quo Deus in impios & consceleratos pœnas constituit, genere, absque controuersia, horribiles, varietate infinitas, acerbitate grauissimas, perpeffu intolerandas, perennitate interminatas, quarum sola recordatione metu exhorrescens exalbescio, atque omnibus artubus contremisco. In hanc carnificinã, omnibus ærumnis & miseriis cumulata, isti homines post mortem compellũtur, qui hoc in mundo sceleribus sese adstringunt, atq. dæmonis tyrannidi mancipati viuũt. Atque ad istum ipsum carcerem primus noster parens, à Dei mandato in Paradiso discedens, se ac suos posteros perditè amandauit. De humanis miseriis per pauca exposui, de earundem remedio nonnulla audietis. Cũ in his miseris temporibus ac perditis moribus, quibus dæmon nos à profugio & portu æternæ beatitudinis exclusit, nostra salus extra modum

» afflicta fuisset : Deus opt. max. miseratione
» permotus, humanum genus, omnium scele-
» rum colluuiione turpificatum, diuturnâ hac
» calamitate leuare statuerat. Quamobrem fi-
» lium suum in mundum misit, qui naturæ
» nostræ particeps effectus, omnisq; peccati la-
» beculæ expers, acerbitem à nobis omnibus
» suo pretioso sanguine redemit. In finitæ cle-
» mentia euentissimum signû. Quid etiam
» nobis aut dignitate maius, aut bonitate me-
» lius accidere potuit, quàm tali tâtoq; pretio
» ab interitu vindicari ? Quæ sanè mysteria vt
» intelligenter à me dicantur, rogo, vt à vobis
» attētè audiatur. Dominus noster Iesus Chri-
» stus, Dei filius, ex diuinissimâ virgine Mariâ,
» natus fuit inter Iudeos Iudæus. In quos cum
» innumerabilia beneficia contulisset, illius di-
» uinâ liberalitate immoderatè & ingrâtè abu-
» si sunt. Adtribuit enim cæcis visum; surdis
» auditum; mutis linguam; claudis incessum;
» ægrotis salutem; mortuis vitam; &, quod ca-
» put est, pœnitentibus veniam. Veruntamen
» Iudæi tam inusitata inauditæque gratia ni-
» mis ingrati, eum diris suppliciis mactare stu-
» dent, quæ omnibus officiis prosequi debent:
» Christum itaq. cõprehensum ad Caipham,
» principem sacerdotû, ducunt. Quicquid au-
tem

tem malitia architectari, fraus fingere, inui-
 dia machinari, vanitas potest excogitare; in-
 nefario crimine, & fraude capitali, Christo,
 totius innocentiae exemplo, impiè nefarieq;
 imponunt. Coniuratos itè testes perditos pro-
 ditores, infirmati conscientiam fraudum suarum,
 subornant, quorum linguarum, mercede adstri-
 ctarum, ad calumniatorum nutum factae sunt &
 accomodatæ. Postea eum Pontio Pilato præ-
 sidi tradere, à quo iniquo iudice barbarè &
 iniquè tractatum, ad militum ludibrium po-
 situm, verberibus crudelissimè adfectum, ini-
 mici, furore incensi, in crucem tollere. Quo
 genere mortis nihil fuit cum apud alias na-
 tiones, tum apud Iudæos, aut ad estimationem
 turpius, aut ad dolorem acerbius. Quantam verò
 tormentorum vim præsidium salutis liberta-
 tisq; nostrae id temporis pertulerit, nemo ho-
 mo poterit animo complecti, multoq; minus
 verbis explicare. In quam te cunq; corporis
 particulam oculorum cõiectu dares, nihil non
 cruentum, nihil nõ ad viuum refecatum di-
 spiceres. Caput cerneret spinea corona redi-
 mitum; manus ingentibus clavis perforatas;
 pedes pari diritate cruci suffixos; cor militari
 lanceam transuerberatum; linguam siti torri-
 dam; cutem verberibus distortam; varices pla-

garū multitudine tumidos ac turgidos; ner-
uos ad summā crudelitatem intentos; venas
recentissimo cruore, instar stillicidij, redun-
dantes. O terram illam beatissimā, quæ dif-
fluentem hunc sanguinem absorbere potuit!
Iam verò quorsum ad internos dolorū acu-
leos orationem conuertam, quorum acerb-
tatem humani pectoris angustia capere nul-
lo modo possunt, omnes omniū gentiū lin-
guæ explicare nequeunt. Quis itaq. tam fe-
rus & ferreus esset, qui hoc lamentabile spe-
ctaculum, absq. infinitā vi lacrymarū & do-
lorū, oculis vsurparet? Quod vsq. eo immane
fuit, vt ipse Sol, ne Iudeorum scelus videret,
extraordinario contactus integumento, (ni-
hil enim ex omni seculorum memoria tale
fuit visum) se abdiderit, crassæque tenebræ,
meridiano tempore, terram opacauerint.
Vnde effectum est, vt Dominus noster, qui
in ortu suo stellam effecerit lætantem, in suo
etiam interitu solem habuerit mœrentem.
Nec verò superiora tantum illa mœsto fue-
runt & cū turbato vultu, sed inferiora etiam
suum pariter dolorē susceperunt. Quantus
in cauernis mugitus? qualis in antris fremitus?
Quam horribiles terræ motus? Quanta
monumenta aperta? Quæ petra scissæ? vt
etiam

etiam ipsa saxa, domini sui tormentis molli-
 ta, languerent, ad cuius poenas marmorea
 sceleratissimorum Iudæorum corda obdurue-
 runt. Quid multa? Nullus post homines na-
 tos & notos tantos vsquam cruciatus pertulit,
 vel perferre, pro communi conditione vitæ,
 prorsus vlllo modo potuit: & tamen humanæ
 incolumitatis restaurator, nostram salutem si-
 tientes appetens, crudelissimis his exemplis
 interimi voluit. Nam nisi ipse hæc tormenta
 subire voluisset, nullam ei vim inferre inimi-
 ci potuissent. Hoc enim mortis genere sub-
 uenire hominum saluti maximo consilio Chri-
 stus decreuit. Siquidem per lignum Dæmon
 victor de homine triumphauit; per lignum Dæ-
 mon victus homini succubuit. Primus homo,
 relinquens & abiiciens obedientiam, nos è
 paradiso exturbauit; secundus homo factus
 obediens vsq. ad mortem, mortem autem cru-
 cis, nobis in cælum non modò aditum, sed
 etiam introitum aperuit. Quid igitur ad hanc
 mansuetudinem addi potuit? Si amicus pro
 amico, aut æqualis pro æquali mortem oppe-
 teret, næ ille quidem nimis agrestis & inhu-
 manus esset, qui tanti beneficij memoriã ab-
 iiceret, quiq; singularem honorem tam sin-
 gulari amico, etiam mortuo, non tribueret.

Philip. 2, 8.

» Qualem igitur gratiam Iesu Christo habere
 » poterimus, qui à nostrâ miseriâ oculos suos
 » non deiecit, sed iustus pro iniquis, dominus
 » pro captiuis, filius pro exsulibus, domesticus
 » pro peregrinis, liber pro seruis, agnus pro lu-
 » pis, amicus pro hostibus, Deus pro hominibus,
 » ex argilla & luto fictis, vitam profudit? Quâ
 » plenissimâ hostiâ pro nobis satisfecit, & cœle-
 » stem patrem nobis placavit. Atque adeò ter-
 » tiâ die à mortuis gloriosè resurgens, immor-
 » talitatem est consecutus; sedensq; ad dexte-
 » ram patris, seruos suos, è dæmonis faucibus
 » ereptos, suauissimo suo adspectu in perpetuū
 » beat. Ad quam sedem vobis apertus est cur-
 » sus, modò veterem caliginem ab animis ve-
 » stris dispellere, fictis & commentitiis super-
 » stitionis fabulis renuntiare, atque in Christi
 » auctoritatem vos cōferre volueritis, qui acer-
 » rimam vim teterrimæ belluæ debilitauit &
 » fregit, nosq; suo sanguine, maximis tormen-
 » tis seruitutis atque interitus liberauit.

Hęc oratio, benignè & diligēter audita, mul-
 torū animos magnoperè percussit, quos an-
 teactæ vitæ pudere & tædere cœpit; in quo-
 rum mentibus nouum adhuc motum con-
 citauit hoc, de quo iam scribere instituo: Dū
 hanc orationē in concione Patricius habuit,
 hostile

*Miraculo de-
Etrinam con-
firmat.*

hastile eius, in quod toto corpore incubuit, in pede cuiusdam principis, qui turbæ inter- fuit, vel potius præfuit, in scius fixit: cum que in dicendo omni genere amplificationis ex- arderet, baculi spiculo reguli pedem effode- re. Existimavit vulneratus, præfulem, deditâ operâ, illius pedem perforasse, vt vel ex hoc stimulo coniecturam faceret, quàm acerri- ma in cruce tormenta hominum liberator pertulerit. Nam in eâ religionis nostræ par- tem, magno orationis impetu, Antistes fere- batur. Hac item mente Dynasta fuit, oportere illos, quorum mentes ad Christianam re- ligionem fingerentur, in aliqua corporis par- te discrucari. Proinde vultu occultans sen- tentiam, pedē de loco, ne transfuersum qui- dem vnguem, dimouere voluit. Vt primūm Pótifex errorem suum obstupefactus agno- uit, Dynastæ virtutem admirans, quòd fron- tem saucius non contraxerit, se ei purgat, cõ- firmans hoc per imprudentiâ contigisse. Sup- pliciter itaq. Deum Præsul obsecrat, perfosso medicamentū adhibere: cuius precibus su- premus medicus locum non relinquens, pla- gam, nulla cicatrice obducta, apprimè opti- mè sanauit. Hoc miraculo ingens hominum multitudo incitata, Christianæ doctrinæ ad-

D 5 sensum

*Patricij in suo
munere indu-
stria.*

sensum præbuit. Non languebat interea Pa-
tricij industria, sed noctes & dies Euangelij
furculos serere, solum, antea minimè suba-
ctum, salutariter arare. In quo labore mirum
est quantum profecit. Quamplurimi enim
in singulos dies, perfidiæ vepreculis exstirpa-
tis, se ad bonam frugem receperunt. Dū hæc
in Hiberniâ geruntur, animarū prædator &
direptor Dæmon, pristinam suā vim magis ac
magis infringi & debilitari Euāgelij promul-
gatione perspiciens, nonnullos è suis mini-
stris furiis agitat, eosq; inuidiæ flamma in Pa-
tricium incendit. In hoc numero habiti
sunt magi, ac reliqui vani & futiles malefici,
sociatâ consensione dissociatæ superstitionis
constricti. Quod genus consccleratorū vbi
vbi viuit, præ reliquis mortalibus, de salutis
statu deiectum, in omnem iniquitatem de-
mersum viuit. Isti igitur curam & vigiliam
præstant, quibus modis Præfulis consilia pos-
sint frangere, atque Christianæ fidei fautores
ab huius doctrinæ studio deterrere. Teneri
enim eorum rem aliter non posse, vident.
Quamobrem certo quodam die præcipuos
insulæ proceres adeūt, multisque rationibus
confirmant; illorum in primis interesse, mo-
dò sibi salutem atq. vtilitatē Reip. proponāt,
extru-

*Magi Sancto
& opponunt.*

*Regni proceres
adloquuntur.*

extrudere ex Hiberniâ in Britanniam Patri-
cium, novos motus cōuersionesq; veteris re-
ligionis quærentē. Quid enim, inquit, ma-
gis absonum ac absurdum censerī debet, aut
à vestrâ dignitate lōgius abesse potest, quàm
alienigenæ, fortunâ abiectō, vestras aures be-
nignè & attentè dare. Lumen, vt præ se fert,
adfert, & tamen nobis noctē offundit: liber-
tatem verbo promittit; at nos in seruitutem
reapse inducit: vmbras aliquas futuræ gloriæ
consectatur, cuius rei veritas minimè est cer-
ta, eiusdem adeptio maximè est dubia. Spe-
cra nobis horribilia proponit, quæ pueri in-
fantes in metu non ponerent, intelligentium
irrisione ludi debent. Res ab auis, proavis,
atauis vestris gestas ex literarum monumen-
tis repetite. Nōne illi suum cursum cū sin-
gulari virtutis exsuperantiâ transcurrent, &
tamen ad eorū aures noua hæc philosophia
nunquam peruenerat? Quid de nostro ordi-
ne dicamus, qui in miseris communibus &
turbulentis temporibus vobis semper salutē
fuit. Quoties, consultis deorum immorta-
lium oraculis, impendentes Reip. casus longè
antè denuntiauimus? Iã verò dij, sententiam
rogati, conticescunt, & à nostris negotiis, ob
huius aduenæ præsentiam, oculos auertunt.

Quo-

» Quocirca cùm nihil magis expetendum sit,
 » quàm reconciliatum deorum studiũ habere,
 » Patriciũ deorum omnium hostem, pestemq;
 » populo molientem è nostrã insulã eiiciamus.
 » Ita enim & vos ornamenta dignitatis, resq;
 » publica præsidia stabilitatis conseruabit. His
 & huiusmodi nugatoriis ratiunculis optima-
 tum animos à Christianã religione magi co-
 nantur alienare. In quorum sententiã non-
 nulli discessionem faciunt. Coniurati vnũ se
 in locum ad ædes cuiusdam Dynastæ cõgre-
 gant, vbi in conuiuio, opiparè parato, Præsul-
 lis aut exilium aut cædem minacibus verbis
 eructant. Patricius huius coniurationis cer-
 tior factus (neque enim fuit obscura) se in
 societatem epularis accubationis nõ inuita-
 tus offert. Quo intrante, nulla fit cõuiuiarum
 cõsurrectio: vnum excipio poëtã, in nostram
 religionem bene animatum. Verùm Ponti-
 fex eorum vultum subire (prout est eius hu-
 militas) minimè recusat. Nam ad hũc finem
 venit, vt coniuratorum mentes sensusq;. de-
 gustet, vt magorũ furentes impetus, vanosq;
 conatus cohibeat, denique vt salutarem col-
 lectam conuiuia recumbentibus elargiatur.
 Accumbit itaq. non rogatus. Mira omnium
 taciturnitas, vultu seüero ac tristi declarata
 moro-

*Nonnulli op-
 timates contra
 S. Patricium
 conspirant.*

morositas. Hic certus magus, tempus, ut arbitrabatur, peropportunū homicidio nactus, paululum secessit, ut Patricio venenum pararet. Quo negotio ex animi sententiā confecto, Pontificem amicè compellare, perbenignè adloqui, venenatum poculum honoris & amoris ergò ei tradere. Præsul fatis perspectum habuit (siquidem intus fuit monitor, qui ei omnia suggestit) veneficum ei merces fallaces & fucosas obtrudere. Quare paterā plenā manu accepit. Prius verò quàm potū primoribus labris gustavit, unā aut alteram guttam in terram proiecit, quibus stillis tota veneni vis inclusa in solum cecidit: quod reliquum fuit, exhausit. Hic magus inflatus lætitiā & insolentiā momentum de momento exspectat, quo Præsul mortuus concidat. At verò vbi res aliter cecidit, ac putavit (nā Patricius epoto poculo remāsit incolumis) veneficus omni acerbitate & rabie furere, atq. Antistitē his verbis adfari: Hui, unde tu? cui (malum) deo te ministrum præbes? Qualem religionem in nostram patriā inducis? Quo tandem prodigio transmarinam tuā doctrinam illustrare poteris? Ad certamen te provooco, etiamsi non sim nescius, quàm iniqua duelli conditio sit, cū tam molli & eneruato aduer-

Sancto venenum paratur.

Nihil ei nocet.

Ad certamen à mago provocatur.

aduersario luctari, quem quidē vincere gloriosum non esset, à quo vinci ignominiosum foret. Verūm experiamur vires tuas. Iā nunc, vt vides, æstas est. Niuē mne imperare potes? Ad hæc Patricius, Ego, inquit, in omni actione mentem meam ad Dei voluntatem conferre aueo. Magus existimans hoc ad victoriam esse satis, territoriū niue obduxit, postea campos densissimis tenebris, quasi connubia nox esset, obtēdit. Remoue, inquit Patricius, niuem: dispelle caliginem. Hic alter, Istud, inquit, mihi integrū non datur, hodierno vel crastino die, vsq. dum persimilis horæ punctum recurrat. Ad hæc Pontifex, cui ergo ars tua non admodum misera & miseranda videatur, quā hominibus, cū obesse velis, obesse vales, cū prodesse velis, prodesse nō vales. Hic cū Antistes paululū interquieuisset, Numinis auctoritate fretus niuem & tenebras subito abegerat. In quo miraculo maxima hominū frequentia adstans, & exitum contentionis exspectās, exclamauit, multiq; infideles, idolis renuntiantes, sese in Christianæ religionis studiū, repudiatis malis suavoribus, tradiderunt. Alio item tēpore furunculus aliquis caprū clepserat, & comederat. Pecuarius furtum cum Patricio cōmunicat.

Præ-

Magum deuincit multasque animas lucratur.

Furtum miraculo manifestat.

Præful concionem aduocat, furtū reddi iubet. Adfuit iam tum in confessu furunculus, qui Præfulis imperiū pro nihilo duxit: siquidem nihil minus quàm de restitutione cogitauit. Hac fraude animo conceptâ, cæleste Numen caprinum sonum ex furis vêtre elicere. Adstâtium oculi in hominem furacem conuersi. De quo perantiquus hymnus:

*Virtus ostenditur noui miraculi,
Hircus cognoscitur ventre latrunculi
Balatu, igitur mirantur populi
Virtutem Dei famuli.*

*In hymno ad
Matut. in of-
ficio S. Pa-
triciij.*

His & huiusmodi miraculis permagna ad Christianorum collegiū accessio fiebat. Patricius itaq. gregi suo, tanquã bonus Pastor, acri inspectione inuigilat; frequēti & assiduâ admonitione Christianos nouitios ad omnē pietatē informat; infidelium errores conuincit, reclamantes magos peruellit; ægrotorum grabatos concurat; quorū mentes Euangelij pabulo nutrit, corpora, quando expedit, oratione sanat. Dum hūc vitæ cursum Patricius in Hiberniâ tenet, adhuc non defunt aduersarij, qui illius doctrinæ effrenatâ & præcipiti mente obnituntur. Alij etiam quasi in biuio vacillantes, in quã se viam dēt, animis sollicitis & anxiis anquirunt. Qui cū varias Pa-

*Adhuc aliij
Sancto resi-
stunt.*

triciij

tricij conciones attentis animis excepissent,
 certo quodam tempore ad hunc modum cum
 „ antistite sermonem instituerant: Multa tu qui-
 „ dem, bone vir, inuitamenta in medium pro-
 „ fers, quibus aures nostras delinire videris; plu-
 „ rima etiam horribilia tormenta minaciter
 „ proponis, quibus nos à deorum cultu deter-
 „ rere conaris. Verum quomodo probari possit, hanc
 „ philosophiam, quam nobis inculcas, ad verita-
 „ tem accomodari. Quare, ut præcisa sit no-
 „ bis omnis in futurum dubitatio, pone ante
 „ oculos nostros ista, quæ pleno ore laudas, cæ-
 „ litum præmia; dispiciamus ea, in quibus cum
 „ tantam corporis conquassatione exhorrescis,
 „ inferorum supplicia, tum, absque ulla procras-
 „ tinatione, Deum tuum per debitam obser-
 „ uantiam venerabimur & colemus. Cum verò
 „ verba tantum audiamus, & hanc beatitatem,
 „ ad quam nos incitas; & illam miseriam, à qua
 „ nos reuocas, quibusdam inuolucris obtegere
 „ videris, fatius esse ducimus, in pristino nostro
 „ cultu permanere, quam præsentia mundi so-
 „ latio pro futuris incertisque oblectamentis, te
 „ auctore & consuasore, repudiare. Hic Patri-
 „ cius, Fides, inquit, non est earum rerum, quæ
 „ sub adspectum cadunt: tum enim fides non
 „ esset fides. Ista ergo mysteria sunt à nostris
 „ ocu-

oculis disiuncta: quæ absentia animo contē-
plari, præsentia nō possumus intueri, quam-
diu corporum compagibus inclusi hīc viui-
mus. Verūm cū hoc responsum illorū au-
res nō impleret, Antistes ad tēpus ab illis dis-
cedere, Numen humiliter orare, vti corū de-
siderio, pro suâ diuinâ prouidentiâ, satisfacere-
ret. Præsulis precibus non defuit Deus, cuius
instinctu ad aquilonarem Hiberniæ plagam
progressus, caueam in quodam recessu offen-
dit, in quam qui intrabant terribilia spectra,
solatiis quandoque interpuncta, videbantur
sibi videre. Quod quidē Antrum (vt de lo-
co nō prorsus dissimili scribit D. Gregorius)

*Gregor. lib. 4.
dialog. cap. 35.*

omnipotens Deus ad correptionem viuen-
tium in hoc mundo voluit ostendi; vt mētes
infidelium, qui inferni tormenta esse nō cre-
dunt, tormentorum loca videant, qui audita
credere recusant. Ad hanc Cauernam, ætate
Patricij, magna turba certatim confluxit. Ab
intranctibus multa mirabilia recitabantur, ex
his nonnulla antiquitatis monumentis con-
signata sunt. Hic locus à nostratibus Purga-
torium S. Patricij nominatur. Verūm qui no-
strâ memoriâ in hunc sese locum compin-
gunt, nullum sibi terrorem iniici sentiūt, nisi
fortē eos arctior somnus complectatur. Sed

*Purgatorium
S. Patricij.*

E in

Gregor. Ho-
mil. 29.

in primâ religionis cōsuetudinâ (quo tēpore miracula vt plurimum crebriora sunt) veri quidem simile mihi videtur, quàm plurima idola, truculēta & terribilia adspectu, solita fuisse pœnitentibus ante oculos obuersari. Hęc Spelunca ab exterarum gentium peregrinis summâ iam olim religione frequentabatur.

Dionysius Car-
thus. lib. de 4.
nomis. art. 48.
& de partic.
iudic. art. 24.
Iacobus Ianuē-
an visa S. Pa-
tricij, in legēda.

Dionysius Carthusianus non pauca de quodam Egneo & Tondalo narrat, qui abdiderunt sese in hanc fossam. Iacobus itē Ianuensis, disciplinæ S. Dominici alumnus, scribit, virum nobilem, Nicolaū nominat, expiandi sceleris causâ, in hoc antro delituisse, vbi multa ei ad timorem, multa ad solatiū proponi visa sunt. Præterea familiaris meus Pater Michaël Tradosius, Hispanus, D. Frãncisci præceptis institutisque adstrictus, vir omni laude dignus, mihi narrauit, se lectitauisse librum satis ponderosum, nondū typis signatum, qui iter & peregrinationem cuiusdam Vicecomitis cōplectitur (is verò Perello appellabatur) ad Purgatoriū S. Patricij: in quo libro multa explicantur, quæ lectorē in magnam admirationem traducerent. Hic religiosus Peregrinator humatus est in conuentu D. Francisci Perpiniiani, vbi & liber ipsius Vicecomitis manu scriptus in hodiernum vsque

Perpinianum
est cristas in
Rosillon. in
Episcopatus
Elsenfi.

vsq. diem cōseruatur. Verùm huius Latibuli origo nonnullam inter scriptores contro- uersiam parit. Ioānes Camertes aliorū con- iecturā ducitur ad suspicādum, Claudianum poētā ad hanc foueam hęc, quæ sequun- tur, carmina aptasse:

*Toan. Camert.
in cap. 35.
Solini.
Claudian. li. 2.
in Ruff.*

*Est locus extremum pandit qua Gallia littus
Oceani pratentus aquis, quo fertur Vlysses,
Sanguine libato, populum mouisse silentum.
Illic umbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus, simulachra coloni
Pallida, defunctasq; vident migrare figuras.*

Hoc si ad veritatem accedat, vt locum esse demus ante Patricium natum, non tamen ad celebrem religionis vsū antea fuit accom- modatus. Ceterū alij nobis negotium fa- cescunt, negantq; hunc nostrum Patricium huius monumenti vel auctorem, vel inuen- torē fuisse. Quam opinionem duabus ratio- nibus firmare conantur. Primū, propterea quòd Siluester Giraldus Cambrensis, dili- gentissimus inuestigator Hibernicæ antiqui- tatis, cū minutos quosq; ac angustos Hiber- niæ angulos exquisitius depingat, huius ta- men Antri ne mentionem vsquam facit. Et quanquam, inquirunt, si ratiocinationem ad acrem ac seueram topicorum normam diri-

*An Patricius
Hibernia Apo-
stolus fuerit
Purgatorij
huius inuētor.*

Giraldus Cambrensis in topograph. Hibern.

gas, argumentum, cuius punctum negando conficitur, non necessario & Dialectice concluditur, tamē cum Giraldus apud animum suum proposuerit, omnes notabiles Hiberniæ locos è tenebris in adspēctum lucemque proferre, parum probabile videtur, tam insignē monumentum ab illo fuisse prætermisum, si id temporis aut cognitum, aut miraculis fuisset nobilitatum. Deinde verò pauci fossam hanc nostro Patricio adtribuunt, sed aliū Patricium Abbatem auctorem ponunt, qui religionis fundamenta, à primo Patricio iacta, perficere voluit. Hæc illi. Verūm si secundus Patricius hoc munus præstiterit, necesse est, ut Giraldū Cambrensem ætate antecedit. Siquidem Giraldi temporibus, qui floruit circiter annum Salutis 1180, fidei maturitas in Hiberniā fruticari perseveravit, tametsi in deprauatos incolarū mores Cambrensis scriptor asperius inuehitur. Iam verò si illa negans conclusio primum Patricium videatur pungere, quī secundum non itidem confodiat, minimè perspicio. Verūm ut nihil in hac causā cōtrouersię relinquatur, lectori confirmo, Purgatorium S. Patricij Giraldi Cambrensis ætate cognitū fuisse & peruulgatum. Atque istud ipsum Giraldi scripta
non

non modò significant, verumetiam decla-
rant cuius verba libet adpingere:

*Giraldus Cābr.
in topograph.
Hibernie, di-
stinct. 2.*

Est locus in partibus Ultoniæ continens insu-
lam bipartitam, cuius pars altera probatę re-
ligionis ecclesiam habens, spectabilis est &
amœna angelorum visitatione, sanctorumq;
loci illius visibili frequentia incomparabili-
ter illustrata. Pars altera hispida nimis & hor-
ribilis, solis dæmoniis dicitur assignata: quę &
visibilibus cacodemonum turbis & pōpis fe-
rè semper manet exposita. Et paulò post:
Hic, inquit, vt asserūt tormenta si quis semel
ex iniunctā pœnitentiā sustinuerit, inferna-
les amplius pœnas, nisi grauiora commiserit,
non subibit. Hic autem locus Purgatorium
Patricij ab incolis vocatur. De infernalibus
namque reprobōrū pœnis, de verā post mor-
tem perpetuaque electorum vitā vir sanctus
cū gente incredulā dum disputasset: vt tāta,
tam inusitata, tam inopinabilis rerum noui-
tas rudibus infidelium animis oculatā fide
certius imprimeretur, efficaci orationum in-
stantiā magnam & admirabilem vtriusq. rei
notitiam, duræq; ceruicis populo perutilem,
meruit in terris obtinere.

Giraldi hæc sunt verba: nihil addo de meo:
in quibus & locum & auctore fatis luculentè

An S. Patricius Abbas fuerit.

exprimit. Quod verò nonnulli de Abbate scribunt, in eo etiam offensum titubatumq̄ est. Quandoquidem idem Patricius, qui fuit Hiberniæ Apostolus, à quibusdam vetustis Scriptoribus Abbas nominatur: atq. ex hac opinione, non satis cognitâ, & peruagatâ, eos existimo in errorē deferri, qui illud tormentarium Antrum Patricio Abbati adscribunt. An verò hic, quē in manibus habemus, Patricius, omnino Abbas fuerit, neq. adfirmare libet, neque pernegare placet. Alienæ itaq; sententiæ recitator esse volo, reprehensor nolo. Habeo fumosum libellum, vetustate tritum & mutilatum, à quodam viro religioso, qui in cœnobio Glastoniâ ætatem contriuit, quantum consequor, exaratum, in quo neruosius confirmare conatur, Patricium octo tantum annos in Hibernia fuisse commoratum: nimirum aduentasse illuc anno Salutis 433. atq. è portu rectâ se Glastoniâ contulisse, à quo, inquit, religioso cœtu Abbas fuit electus: tantusq; honos in Glastoniensi (vt scribit) gymnasio habitus est religioso ante Patricium nemini. Alius item vetustatis indagator memoriæ prodit, se vidisse in Glastoniensi Bibliothecâ monumentum quoddam, in quo hæc verba continentur:

Auctor in legendâ nouâ Angl. in vitâ S. Patricij.

In

In nomine Domini nostri Iesu Christi ego
 Patricius, humilis seruunculus Dei, anno in-
 carnationis eiusdem quadringentesimo tri-
 gesimo, in Hiberniã à sanctissimo Papa Ce-
 lestino legatus, Dei gratiã Hibernicos ad fi-
 dem veritatis conuerti. Et cū eos in fide Ca-
 tholicã solidassem, tandem in Britanniã sum
 reuersus ad insulam Aualoniã, & ibi duode-
 cim fratres inueni, heremiticam vitam du-
 cētes: & cū inueni eos humiles ac quietos,
 elegi potius cum illis abiectus esse, quàm in
 regalibus curiis habitare. Sicq; licet inuitum
 in Pastorem me prætulērunt. Hęc & plura
 alia ibi. Decurtata etiã ista chartula, quæ abs
 me modò est nominata, tres distinctos Patri-
 cios fuisse adfirmat. Ita enim scribit:

Sunt huius nominis, tene certissimè

Tres Sancti Præsules: primus Hiberniã

Archiepiscopus: alter Auerniã:

Quã natus fuerat ternus Hiberniã.

Archiepiscopus primus Hiberniã:

Is primus postea Abbas Glaſtoniã,

Natus Britanniã præclaro genere:

Vt sua vita declarat optimè.

Istud igitur Abbatis nomen, quod à nonnul-
 lis priscis historicis nostro Patricio Armacha-
 no fuit impositum, aliquos in errorem indu-

*Ceremonia ob-
servata quan-
do aliqui in-
trant in Pur-
gatoriū S. Pa-
tricii.*

xit, vt Patricium Abbatē à Patricio, Hiber-
niæ Apostolo, distinxerint, Abbatemq. hu-
ius, de quo tractamus, Purgatorij auctorem
posuerint. Quod secus est, vti satis est com-
probatum. Huius verò peregrinationis tales
iam olim ceremoniæ erant: atque adeò, no-
stris temporibus, consimiles perhibentur:
Quando quispiam statutum habet, in istud
antrum ingredi, ad Pontificē, qui in ea Diœ-
cesi religionem moderatur, in primis acce-
dit, quocum propositum suum cōmunicat:
Antistes multas adsuescit formidines oppo-
nere, quibus pœnitentem à suscepto negotio
deterreat: vnum semel hominum contuber-
nium in hunc specum intrasse, quorum ve-
stigia nusquam pōst comparuerunt, de qui-
bus perantiqua monumenta loquuntur: pe-
riculum esse, ne diuina Maiestas, omniū sce-
lerum vltrix, ab illo similiter pœnas propter
temeritatem & audaciam petat. Quē post-
quam accuratissimè Pōtifex monet, nec ali-
cuius terroris recitatione flecti animaduer-
tit, eum per literas, vel per statorē aliquem,
cœnobij præfecto cōmendat, quod quidem
prope ipsum expiationis locum à S. Patricio
fuit ædificatum. In quo monasterio homines
sanctam quietem atque otium secuti, ad re-
ligio-

ligiosam D. Augustini normã vitã dirigunt. Præfectus itaque de peregrini consilio certior factus, eandem, quam Pontifex reformationem proposuit, nouo verborum fulmine exaggerat atque amplificat. Ast vbi pœnitentem nullo terrore variari perspicit, ei in mandatis dat, totos quindecim dies ieiunius viuere, modò corporis infirmitas tantam in ediam patiatur. Nam ei, qui stomacho crudior est, non plus temporis in ieiunã ac exili hac ciborum mediocritate prorogatur, quàm quod commodo valetudinis fieri possit. Iam verò si adhuc etiam firmè & constanter in suo instituto perseueret, omnes monachi sollennibus supplicationibus pœnitentẽ ad Antri ianuam (quæ vt plurimum obturatur) perducunt: & postea quàm ingressus est, siue solus sit, siue plures simul intrent, fores ab his, qui foris sunt, occluduntur, & postridie eius diei circiter eandem horã per similia cæremoniarum sollennitate pœnitentes ad templum reducuntur. Si quando aliquid aduersi accidat, tota religiosa societas per integros quindecim dies seuera ieiunitate corpora extenuant. Atque hæc sunt præcipua capita, quæ in annalibus, fide dignis, de Purgatorio S. Patricij continentur. Cete-

rūm de numero annorum, quos natura S. Patricio ad viuendum dedit, nonnulla est inter Historicos controuersia. Vnus centū & duodecim, alius centum viginti, tertius centum triginta annos eum in vitā māsisse adfirmat. Certior opinio hæc est: In huius mundi lucē susceptus est Patricius anno ab auctore Salutis humanæ nato 361. In cælestem verò lucem migravit anno 458. Quibus ad calculos vocatis, cuius facile perspicuum est, eum ad summam senectutem vixisse. Verū à nonnullis positum est in dubitatione, quo in loco S. Patricius humatus iaceat. Ille Glastoniensis monachus, de quo paullò antè dixi, Chesterum quendam pergrauiter reprehendit, qui S. Patricium in opido Dunensi cum Brigidâ & Columbâ sepultum confirmat. His enim telis in Chesterum incurrit:

*Cambrenf.
in Appendi-
ce cap. 20.*

Vbi sepultus.

- » De hoc Patricio, Columbâ, Brigidâ
- » Delirat plurimum Chester in Chronicâ,
- » Scribens in Duno quòd horum corpora
- » Sunt vno tumulo.

*Columbam
Duni non esse
sepultum vi-
detur sentire
Beda li. 3. Hist.
Angl. cap. 4.*

Ast in hac assertione non modò Chesterus non delirat, sed illius etiam reprehensor vehementer errat. Siquidem singularis Hibernorum annalium omnium cōsensio in Chesteri

steri sententiâ existit, pro quâ etiam faciunt
isti versiculi perantiqui:

Hi tres in Duno tumulo tumultantur in vno

Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Deinde verò horum corpora Duni inuenta
sunt circiter annum Salutis 1176. cuius rei

Girald. Cambrensis. in topograph. Hibern. distinct. 3.

testis est Giraldus Cambrensis, qui fuit eiufdem etiam ætatis: de quo toto hæc ille exponit: Fuerant, inquit, contemporanei Patri-

cio Sanct^{us} Columba, & S^a Brigida: & apud

Ultoniam, in ciuitate Dunensi scilicet, ipso-

rum tria corpora sunt recondita. Vbi & hiis

nostris tēporibus, anno scilicet, quo Comes

Ioannes primo in Hiberniam venit: quasi in

speluncâ triplici, Patricio in medio iacente:

aliis duobus hinc inde. Ioanne verò de Curci

tunc ibi præsidente, & hoc procurante, tres

nobiles thesauri diuinâ reuelatione inuenti

sunt & translati. Hæc ille. Diuinitus autem

horum corpora patefacta & illustrata esse,

Giraldus verâ ac solidâ ratione adductus, li-

teris memoriæq; prodit. Etenim dum certo

quodam tempore Dunensis Episcopus in

templo pernoctat (is verò multum & assi-

duè Numen obsecrauit, abditos hos thesau-

ros è tenebris in lucem proferre, priusquam

ipse ex præsentis vitæ vinculis euolaret) ecce

tibi

Sepulchrum diuinitus patefit.

tibi derepente radius mirabiliter pellucens per templi repagula permeat, cuius fulgore tota ecclesia collustrata splendescit. Locus verò, in quo sanctorum sepulchrum delitescit, maiore luminis accessu micat. Antistes gaudio exiliens fossam postero die effodi curat. Diuorum corpora summâ cum gratulatione & lætitiâ ex abditis terræ recessibus eruuntur. Incredibilis concursus ex omnibus locis patrum familiâs cum coniugibus ac liberis. Res multorum oculis testator ad summum Pontificem delata; qui legatum in Hiberniam misit: cuius auctoritate prouinciæ Præsules vsi, sanctorum corpora in locum magis illustrem, celeberrimam populi gratulatione, detulerunt, & communi scito ac decreto promulgarunt, horum translationem anniuersariam solennitate in posterum fore celebrandam: nimirum quinto Idus Iunij: Hoc enim genus honoris eorum Corporibus tribuendum rectè & verè Præsules censuerunt, quorum Animæ angelorum sunt sedem & locum consecutæ. Antistes erat Patricius (vt reddam, quæ restant) in omni virtute, excellens, quem diuina gratia (omnium benè factorum beneq; dictorum parens & moderatrix) multis extraordinariis muneribus ab
incu-

incunabulis cumulatissimè locupletavit.

Cùm salutari aquâ ablueretur, fontè ex venis ac visceribus terræ emanasse, cæcumque lumen recepisse, nonnulli scriptores, religiosa adseueratione, apud posteros testatum reliquerunt. Ad hæc, adolescentulus rogam ex glacie extruxisse dicitur, quæ structoris precibus, perinde ac si materies esset ad exardescendum facilis, ignem concepit, atque aduersante & repugnante vsitato naturæ cursu, mirabili incendio conflagrauit. In ingenti quodâ immensoq; campo spaciari posset, qui singula miracula ab hoc ornatissimo Præsule edita, oratione percurreret, in quibus enumerandis, facillimè principium, difficillimè exitum narrator inueniret. A teneris vnguiculis vsq. ad vltimum spiritum, se ipsum religionis ac pietatis studiis consecrauit: nunquam de spatio curriculoq; sanctitatis deflectens, quod ei diuinitus ab initio ætatis propositum fuit. Teneritate puer, moderatione sedati adolescentis mores expressit: annis iuuenis, iudicio senem se præbuit, per omnem vitæ suæ cursum virtute ætatem superans. Pastoralis munere perfunctus est mirâ sedulitate: quam etiam spiritualis structuræ perfectio illustravit: cuius ædificij non modò

*Miracula edita
cum Patri suo
baptizaretur.*

Eius n. orat.

modò fundamenta iecit, sed etiam inchoato operi fastigium imposuit. Cùm Româ in Hiberniam Pontifex concessit, si omnino aliquos, saltem perpaucos ibi fideles inuenit: moribundus nullos per insulam infideles reliquit: quâ in curâ & solitudine ita Deum propitium habuit, vt iure quidem dubitaretur, an vnâ ætate diuersi Pastores, aut diuersis ætatibus vnus Pastor tam frequentem gregem ad Domini caulam, Euâgelicis blandimentis, inuitare atque adlectare posset. In mundo peregrinus, cælestem patriâ in mente & cogitatione defixit. Vim, varietatemq; fortunæ in minimis posuit. Nemo in secundis rebus moderatior, nemo in aduersis patientior, in vario mundanarum rerum statu non varius. Seueritatem cum humanitate tam æquabili temperamento commiscebat, vt alteram in notandis animaduertendisq; vitiis, reuereri non nolles, alteram, cùm ad virtutem adhortaretur, non amplexari non posses. Vir tam castus, quàm qui castissimus: frequenti & assiduâ inediâ carnis ferocitatem cõpressit: tenuiculo apparatu, quoties naturæ comedendo satisfecit, fatiatus. Atque in hoc genere abstinentiæ vsque eò singulariter excelluit, vt inter primos minimè

mè secundus fuerit, atque adeò inter secundos longè primus exstiterit. Mirâ beneficentiâ ac liberalitate in tenues & pauperes erat, quibus auxilio sæpe, consilio semper præsto fuit. Eum enim pupilli tutorem, posthumi parentem, viduæ patronum habuerunt. Orationibus, suprâ quàm credibile est, deditus vixit. Integros regij Vatis psalmos in dies singulos recitauit. Sacram literaturam perrarò è manibus, & quod ad rem maximè pertinet, è mente nunquam demisit, in eius familiaritatem se penitus immerisit. Aliquos etiam sacros libros (vt quibusdam placet) doctissimis commentariis explanauit. Crucem, vbicumque locorum defigi vidit, debitâ religione colere consuevit: atque hac graui ratione consuetudinis solitus est vti, quoties iter ad aliquem locû fecit. Euênit, vt semel, nescio quò proficiscens, crucem transiret, neque ad eam, pristino suo more, inclinaret. Rogatus à comitibus, quid ei in mentem venerat, quòd ab eâ cruce mentem reuocasset, diuinitus cognouerat, prope illud signum, Capitonem paganum esse sepultum, quem indidem auelli & asportari iusserat. Quantum autem commendationis, ac potius admirationis apud homines, omni laude dignos, habue-

Crucis imaginem adorant.

*Surius tom. 2.
Mart. 3. in vi-
sa d. V. Vival.
circa initium.*

*Bernar. invita
S. Malachia.
Habetur etiam
apud Surium,
tom. 6. No-
vembr. 5.*

habuerit: vel hinc liquet, quòd D. Winwa-
lochus, vir omni virtute præcellentissimus,
Patricij visendi inexplebili desiderio flagra-
uit. Quin etiam ipse peculiaris Angelus, in
cuius tutelâ à primis temporibus ætatis fuit,
per sæpe se Sancto ad spectabilem præbuisse,
eiusque per familiarem fuisse, nonnulli per
veteres scriptores ad posteritatis memoriam
commendarunt: quo monitore suggeren-
te, Patricius crebrò vaticinari, eoque in mu-
nere nunquam hallucinari est cognitus: nam
semper cum prædictis rerum euentus con-
gruebant. Quanto autem in honore & amo-
re spectatissimum hunc Præsulem S. Mala-
chias habuit, testatur D. Bernardus: Per-
conctatus (loquitur de S. Malachia) ali-
quando, quonam in loco, si optio detur,
extremum malit agere diem (de hoc siqui-
dem fratres quærebant inter se, quem sibi
quisque deligeret) cunctatur, & non re-
spondet. Instantibus illis: Si hinc migro,
inquit, nusquam libentius, quàm vnde vnà
cum nostro Apostolo resurgere possem. Hæc
de duobus sanctis scriptor insignitè sanctus.
Verùm hîc certis quibusdam septis coangu-
stata mea est oratio, ne profusâ quadam la-
xitate redundans, extra ripas effluere videat-
tur.

tur. Quandoquidem in meritissimis S. Patricij laudibus celebrandis longum esset è multis paucas virtutes seligere, quiq; istud susceperet negotij, potius in vbertate modum, quàm in exilitate copiam aucupari deberet. Vnum hoc tacitus præterire nullo modo possum, non solum incolas, sed ipsam etiam Hibernicam glebam tam salutari Patrono lætari debere: cuius beneficio perfectum est, ut nullius venenati animalis Hibernica terra vel procreatrix vel altrix esse possit. Venetus & posteritatis consensu firmata & confirmata in D. Patricio est hæc opinio; tamen non desint, quibus videtur huius boni ipsam naturam esse principem. Solinus, qui S. Patricium ætate antecessit, eos in hanc potissimum sententiam ducit, apud quem hæc verba sunt: Illic anguis nullus, avis rara. Verùm in altero Solinus, certo scimus, est mendax, in altero quæ sciamus an sit verax? Vbi, amabo, aves abundant, si in Hiberniâ non abundant? Ut igitur in aue rarâ Solinus re ipsâ erravit, ita, in angue nullo, errare potuit. Mirus sanè omnium consensus Hibernorum concentusq; in hoc reperitur, Patricij ævo singulas Hiberniæ particulas, imò truncos, baccas, ramos, arbuſta, virgulta,

*Hiberniâ omnium venenati animalu ex-
pertem esse,
meritu D. Patricij, ut per-
uulgata fere
opinio.*

Solin. cap. 35.

F

gulta,

gulta, culmos & herbas tabificis vermibus, extra modum redundasse: atque hæc incredibilis luxuries Antistitē induxit, vt insulam purgaret, & ab hac pestiferâ colluue liberaret. Quod quidem singulare beneficium meritis D. Patricij satis asseueranter adsignari poterit, quandoquidem libertatis nostræ restitutor istam ipsam virtutem ser-

Matth. 16. 17. uis suis pollicetur: Signa, inquit, eos qui
 „ crediderint hæc sequentur: In nomine meo
 „ dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis,
 „ SERPENTES TOLLENT, & si mortife-
 „ rum quid biberint, non eis nocebit, super
 „ ægros manus imponent, & bene habebunt.

Exstitit iam olim in Hiberniâ baculum, au-
 ro, quemadmodum scribit D. Bernardus, re-
 ctum, & gemmis pretiosissimis adornatum,

Baculum Iesu.

*Bernard. in vi-
 sa S. Mala-
 shia.*

*Giraldus Câ-
 brens. in to-
 pographia
 Hibern. di-
 stict. 3.*

quem nominabant baculum Iesu: eò quod ipse Dominus (vt fert opinio) eum suis manibus tenuerit, atque formauerit: quo quidem baculo S. Patricium istud viperinum virus ex Hiberniâ abegisse tradunt, de quo insigni monumento, deque alio, non ei dissimili, quid Giraldus Cambrensis, vetustus historicus, scribat, minimè extra causam erit, ante lectoris oculos collocare:

„ Inter vniuersos Hiberniæ baculos, lignæq;
 natu-

naturæ Sanctorum reliquias, virtuosus ille & [“]
 famosus, quem baculû Iesu vocant, non im- [“]
 merito primus & præcipuus esse videtur. Per [“]
 quem, vulgari opinione, S. Patricius veneno- [“]
 fos ab insula vermes eiecit. Cuius siquidem [“]
 tam incertus est ortus, quàm certissima vir- [“]
 tus. Nostris autê tēporibus, & nostrorû ope- [“]
 râ, nobilis hic thesaurus ab Armachia Du- [“]
 bliniû est translatus. Vidimus etiam in Wal- [“]
 liâ, nec non & vehementius admiramur, ba- [“]
 iulum quendam cornu quoddam æneum, [“]
 quod S. Patricij fuisse dicebat, pro reliquiis in [“]
 collo gestantem. Dicebat etiam, ob reueren- [“]
 tiam Sancti illius, neminem ausum hoc sona- [“]
 re. Cùm igitur Hibernico more circumstan- [“]
 ti populo cornu porrigeret osculandum, sa- [“]
 cerdos quidam, Bernardus nomine, de ma- [“]
 nibus eius illud arripuit, & oris apponēs an- [“]
 gulo, aëremq; impellens, sonare cœpit, qui & [“]
 eadem horâ, multis adstantibus, ore quidem [“]
 aure tenus paralticè retorto, duplici passione [“]
 percussus est. Cùm enim torrentis eloquij [“]
 prius exstitisset, & delatoris linguam detra- [“]
 ctor habuisset, sermonis cuiuslibet vsum sta- [“]
 tim amisit. Vnde & in hac parte sic læsus est, [“]
 vt semper hætenus linguæ fuerit impeditæ. [“]
 Præterea letargû patiens sic statim obliuioni [“]

“ Miraculû de
 “ cornu æneo.

» cuncta tradiderat, vt vix etiam se nomen ha-
» buisse meminisset. Enimuerò tam enormi-
» ter in memoriâ lesus fuerat, vt Psalmos, quos
» antea cordetenus optimè nouerat, multis ab
» inde diebus quasi de nouo recordantem vi-
» deremus: & literas, etiam quarum notitiam
» copiosè satis habuerat, denuo mendicâtem,
» tanquam elementarium senem, miraremur.
» Cui tandem in Hiberniam ad S. Patricium,
» excessus huius causâ, peregrè profecto, ple-
» nior valetudo rediit, sed non plena. Hæc Gi-
» raldus. Plurima, his similia, in medium pro-
» ferri possunt, in quibus Patricij virtus insi-
» gniter enituit. Vnũ illud breuiter adtingam,
» quod, inter alia sua heroica ornamēta, in po-
» stremis numerandũ non censeo: Si quis apud
» animũ suum proponeret, priscorũ tēporum
» memoriâ replicare, atq. ex historiarũ vetu-
» state sanctorũ Patrũ anteaetas vitas eruere,
» in multos incidere ad dignã immortalitẽ
» religionẽ & memoriã consecratos, quorum
» omnia consilia ad Euangelij propagationem
» vnicè spectabant. Horũ sacrosanctã diligen-
» tiã effectum est, vt omnes ferè nationes into-
» lerandam Dæmonis tyrãnidem à ceruicibus
» auerterent, atq. mitissimo Christi iugo men-
» tes suas humiliter subiicerēt. Apostolicæ in-
» dustriæ

dustriæ curriculum in hoc saluberrimo institu- Psal. 18, 5.
Matth. 28, 19.
Marc. 16, 15.
Rom. 10, 18.
 to præcipuè elaboratū esse, quæ præterit? Illi
 enim Ecclesiæ principes, cælestis gratiæ buc-
 cinatores, diuinitus designati, urbē & orbem
 Euāgelicę tubę sono cōpleuerunt. Eundē do-
 cēdi cursum complures integerrimi Patres,
 Apostolorū ætati suppare, secūdistimè tenuerunt,
 qui varias mūdi plagas vnâ eadēq; Ca-
 tholicę fidei luce collustrarunt. Qui cum in-
 finitos Iesu Christo filios, magno consilio at-
 que optimâ mente, procreassent, reperti erāt
 in eisdem territoriis, qui, omissis rectissimis
 pietatis studiis, officium longis interuallis tē-
 porum interruperant, & mentes suas ab om-
 ni Christianâ religione inopes & desertas
 reddiderant. Adhæc, multi tyranni, crudelis-
 simis consiliis incitati, atq; à Christianâ fide
 toto pectore auersi, milites suos, immanita-
 te barbaros, multitudine innumerabiles, in
 eiusedē religionis confectatores hostiliter im-
 mittere, qui resistentes contrucidarent, alta-
 ria cōplanarent, reliqua sacra, sacrilegis ma-
 nibus atq; impiis, polluerent ac violarent, po-
 stremò in capite fortunisq; omniū, maximis
 aceruis corporum exstructis, intolerāter do-
 minarentur. Quæ quidē lupina ferocia tan-
 tam acerbiter Christiano gregi adtulit, vt

multas iam nunc nationes, tyrannide recisas, armis repressas peragrare liceat, in quibus vix aliqua veteris doctrinæ vestigia appareant. Aliarum item nationū habitatores, cęcā animę dominatricem Hęresim nequiter secuti, è sinu gremioq; Ecclesię, indulgētis matris, ingrati filij sese abstraxerunt, ac Christi tunicam, omni violento direptu, discindere perentarunt. Verumenimuerò labor, quē S. Patricius in Christi vineā, incredibili studio atq; virtute impendit, longè meliores exitus, Deo iuuante & conseruante, habuit. Siquidē, ex eo tempore, quo diuinus Antistes Hibernos ab infidelitate ad Christianā religionem traduxit, Catholica ibi fides, tam altis defixa radicibus, effloruit, vt per omnes simul insulę partes, aut nunquam, aut non ita diu viriditatem amiserit: contraque ipsi passim domestici natiuiq; incolę, præter admodum paucos, ea constantiā & firmitate animi Catholicę Romanę Ecclesię, etiam in præfenti religionis naufragio, adhęrescunt, vt portenti simile videatur, in vllū Hibernum incidere, qui sit aut nouę sectę procreator, aut notę sectę, ex voluntate, ad probator.

Joan. 19. 24.

*Hibernorum
in fide Catho-
lica communis
constantia.*

*Turgesius pa-
ganus tyran-
nidem in Hi-
bernia exer-
cuit, sed non ita
diu. Vide Hi-
bern. rerū ap-
pend. cap. 22.*

FINIS.

PRIVILEGII SVMMA.

REGIAE Maiestatis auctoritate
concessum est Richardo Stanihursto,
nobili Hiberno, vt libros duos quos
De vita S. Patricij, Hiberniae Apostoli, Nūc
primū in lucem editos conscripsit, Chri-
stophoro Plantino imprimendos tra-
dat; eosdemque, quibuscumque vo-
luerit locis, distribuatur, quā Regiæ Ma-
iestatis ditiones patent. Datum Bru-
xellis xviii. Septembr. Anno 1587.

Pamele v.

Subsignat.

d' Enghien.


REVILIGII SVMMÆ


REGIÆ MAJESTATIS AUCTORITATE
concessimus esse Richardo Scamburto,
nobili Hiberno, et libris duos quos
De vita S. Patricii, libris apud N. de
primis in laudem eius compositis, Chri-
stophoro Plantino imprimendos ut
dat, collendam, quibusdamque vo-
luntatis, distribuat, per Regie Ma-
iestatis donationes parent. Datum Bri-
xellæ xviij. Septembris Anno 1587.


Tomus vi.

Subscriptum

R. Engländer







Th
2439